

HISTORIA
PLANTARUM,

Quæ in

HORTO ACADEMICO
LUGDUNI-BATAVORUM

Crescunt cum earum characteribus, & Medicinalibus virtutibus.

Desumptis ex ore

CLARISSIMI

HERMANNI BOERHAAVE,

Philosophiæ & Medicinæ Doctoris, Medicinæ, Botanices, Chemiæ & Collegii Practici *Lugduni-Batavorum* Professoris.

PARS PRIMA.



ROMÆ,

Apud FRANCISCUM GONZAGAM.

MDCCXXVII.





PRÆFATIO

AD

LECTOREM.



Um ſeptemdecim circiter abhinc annis plantarum virtutes & characteres publicè docere incepit Clariſſimus Profeſſor Boerhaavius in Academiâ Lugduno-Batava, incredibile eſt quanto cum fervore ejus dogmata à diſcipulis ſunt excepta, quæ ſcribendo Collecta, inter ſe collocata, & in unam molem redacta ſunt, unde natum eſt manuſcriptum noſtrum, cujus tanta apud Leidenſes Studioſos exſti-

tit fama, ut variis originem dedit manuſcriptis. Inter ea forſan hoc exemplar non infimum obtinet locum, quod nunc multorum precibus typis mandatum, multos liberabit oneroſo deſcribendi labore & Italis, quibus non datum fuit magni viri præcepta coram haurire, ſimul prodeſſe poterit. Nec exiguum hujus libelli fructum polliceri audemus, cum plantarum virtutes hactenus vagis tantum fere experimentis traditæ inanibuſque & jactantiis corruptæ firmis principiis & experimentis deducuntur.



PROOEMIUM.



Legantissima hæc est scientia à primis hominibus exculta uti ipsæ historiæ sacræ docent, confirmat id ipsius naturæ consideratio: nil enim natum est, quod hominis ingenium magis afficere potuit quam res herbaria, hanc qui callet, in desertissimis etiam locis non peribit penuriâ victus, hunc qui deficit, non considerabit officinas medicamentorum, olla ejus est tota tellus vel partes ejus, ita ut antiquitate, oblectamento, usu & necessitate sit commendatissima, quod alienis verborum lenociniis probare non opus erit, nam ab ipsis Dominis omni ævo culta fuit; ipse primus Monarcharum *Adamus* hanc à Deo accepit, ut hortum Paradisum custodiret & coleret, ut *Moises* tradit, sive spectes Orientis Dominum *Cyrum*, qui se apud *Xenophontem* laudabat quod haberet hortum pulcherrimis stipitibus & plantis frugiferis onustum, & ille ex legato quæreret, quinam putas hæc omnia condidisse? respondit mea manus.

Ille qui maximâ scientiâ & prudentiâ præditus nempe *Salomon* cognovit omnes herbas, stirpes, frutices usque ad minimam plantam & planta vilis v: g. muralis apud eum plus lau-

dis meruit, quam omnes gazæ Ægypti teſtantibus ſuis litteris.

Sic olim *Magnus Alexander* ita fructus amænitate captus fuit, ut horticulum *Antonio* Regiâ majeſtate donaverit.

Eſt ergo etiam quod animos noſtros incitet, ut cum ſumma ſit ubertas, animum excolamus diſciplinâ hujus ſtudii, in quo puto commendandum, quod cum hoc ſtudium hoc aureo ſæculo cultum exercuerit ingenia hominis ipſâ ſimplicitate veræ virtutis, non minus pabulo vel alimento præbendum quam ipſi corpori. Eſt enim hoc ſtudium remotum ab omni ambitione & fallaciâ, ita ut ſine noſtrâ inflatâ ſcientiâ ſolis ſenſuum auſpiciis diſcamus, quid fecerit ille admirandus rerum Auctor in naturâ, nam ad hoc ſtudium nil juvat, niſi integra ſimplicitas; exigit ergo res ipſa, ut rem hanc ſimpliciſſimam ſimpliciter (pro ut novi) candidè exponam. In his duo præſtabo & exponam breviſſimè elementa botanica, 2. ſtirpes ipſas demonſtrabo.

Elementa ſunt generalis doctrina ſecundum optimas leges digeſta, juxta cujus inſtitutionem aliquis optimè poſſit intelligere hanc artem, hæc ergo diſtribuuntur in Anatomen in genere 2. docet illas partes, juxta quas optimè intelliguntur omnia genera characteribus maximè ſelecta ad ordinatum corpus doctrinæ conficiendum. In ſecunda parte utpote demonſtratione plantarum primò demonſtrabo Lythophytas, quas maximis ſumptibus collegi, & in prima parte indicis recenſui, ibi enim videre poteritis mirificum naturæ opus, quatenus plantæ ſub aqua gignuntur, & dein ſtirpes in horto.

In

In hac demonstrationis methodo id est in recensendis plantis & characteribus vos non detinebo; hinc vestrum erit hæc in repetitione evolvere, meum verò erit vobis characteres præfixos in plantis demonstrare, quatenus à flore & fructu, à radice petuntur, jam verò Elementa ab optimis Auctoribus digesta aggredior.

Planta ergo est corpus Organicum, alteri cuidam corpori cohærens per aliquam partem sui, per quam partem (cui inhæret) Nutrimenti, Incrementi & Vitæ materiam capit & trahit.

Veteres Philosophi distinxerunt in perfectè simplex & organicum omne corpus, quod nempe ex diversis partibus constructum (simplex) iterum erat duplex, nempe 1. aqua & ignis erant corpora simplicia. 2. Corpora simplicia erant metalla, omniaque ferè fossilia, nam sal v: g. nullam diversitatem in partibus habet, sunt ergo quædam corpora nempe semi-metalla & alia, quæ simplicia quidem apparent, sed arte chymicâ ejus partes diversæ demonstrari possunt, ut est v: g. sulphur, sic v: g. simplex corpus dicitur Aurum; ergo omnes partes sunt eædem, Organicum quod ex multis diversis sibi junctis componitur hoc iterum dupliciter distinguebant, vel corpus organicum ex eadem constabat materiâ, figurâ tamen diversâ, & ubi partes alio modo dispositæ, ut si horologium ex solo ære confectum habeatur. 2. Erat corpus Organicum ex diversis planè partibus compositum, quæ corpora organica vocavere hydraulica, quæ habent solida nempe vasa, quæ continent humores, & sic harum partium actiones ab invicem dependent, sic v: g. corpus humanum, quod non

est simplex sed conflatum ex diversis partibus inter se sic cohærentibus, ut fiat motus ab omnibus simul junctis; sic sunt quoque omnes plantæ; sed forsan Corallia sunt corpora simplicia, omnino non? nam ipsa materia coralli habet in se vasa & humores.

Cuidam corpori inhærens. Nam non cognosco ullam plantam, quin habeat corpus, cui inhæret, sed forsan rogetis, an etiam *Lens marina*? ita, nam inhæret mobili aquæ, & habet radices bibulas tenuissimas; sed an fortè non est plantæ semen, quod per aërem volitet? non diffiteor, nam fungi & musci videntur sua semina sic deferre, sic sunt duo loca in Hollandia, ubi crescit *Herba Trigomenes*, & hæc invenitur in cavo muri alicujus putei, & fert suos flores & semina, sic sunt fungi, qui non crescunt, nisi fimus equinus quidam loco ponatur, nam tum nascuntur, & horum semen in hoc fimo hærere debet; sic videmus semina dispergi per aërem, tamen verò vel terræ, vel aquæ, vel aëri nectuntur, vel lapidi ut in echinomelocactos.

Per aliquam partem sui. Hoc etiam verissimum, licet sint nonnullæ plantæ, quæ forsan dici possint nulli parti cohærere, ut sunt v: g. *Tulera terrea*, quæ sunt figurâ sphæricâ, nulla folia, flores, semina, neque radices dant, sed tamen habent radicem, utpote ejus superficiem, per quam aluntur.

Per quam partem materiæ. Hoc quoque est evidentissimum, nam omnes plantæ per radicem nutriuntur, sed tamen non dubito, quin multæ sint, quæ per folia & cortices nutrimentum hauriunt, nam si sumas ramum, & ponas inversè in terram, tum tamen crescit, sic etiam

etiam ſunt plantæ, quæ ſi inverſæ terræ committantur, ut Radix extra terram promineat, tum radix diffundit ſe in folia & flores, & rami fiunt Radices.

Illa ergo pars, quæ plantæ corpori cohæret græcè dicitur ῥίζα latinis Radix, hæc aliquando in aqua creſcit, & dicitur *Aquatica* planta, ſi hæc terræ committatur, tum hæc planta dicitur *terreſtris*, nonnunquam planè ſub terra mittitur & reconditur, hæc dicitur *ſubterranea*, nonnullæ dant Radices *Petræ*, & hæ in lapide creſcunt, & dicuntur *Saxifragæ* ſeu *Saxoſæ*, ut ſunt multi muſci *Androſarca*, has vobis exhibebo, quæ ſunt quaſi in mero ſaxo; quædam in muris immittuntur, & dicuntur *murariæ*, quædam in calce, ut quædam muſci ſpecies, aliquando in aëre, & vocantur (ſi ita dici liceat) *Aëreæ*, quædam in aliis plantis & dicuntur *Epiphyta ſeu creſcentes in plantis*. Nonnullæ in animalibus, ut ſingulorum minimorum ſpecies, ſed hæ ſunt rariſſimæ; ſic notum de muſco hyberno, qui creſcit in capite ſuſpenſorum, *à quo jam diu ſolatium contra Epilepſiam quæſitum eſt*, quædam in aqua, quædam ad ripas aquarum, quædam in ſuperficie, ut alga vulgaris, lens vulgaris, muſci aquatici, & hæ dicuntur *aquis innatantes*, hocque dictum eſt ripa matricis, cui committitur. Jam variæ ſunt Radicum ſpecies.

1. *Quæ fibroſa Capillacea*, quod capillaceum terræ committitur, ut in gramine hortenſi, *Johannes Bauhinus* hujus Radicis ſpeciem filamenta, *Cæſalpinus* venas lacteas vocavit, & horum collectionem cor non impropriè.

2. Etiam *fibroſa*, ſed hæ ſub terra dimittunt no-

nodosa filamenta, & dicuntur sub terrâ repentes, ut in gramine canino juxta *Bauhinum.* Ex hac Radice multæ gemmæ enascuntur, quæ iterum faciunt novam plantam, & sub gemma etiam novæ crescunt radices, si modò unum frustulum aquæ committas, totam terram perrepit, hæ omnes raro, nisi abscindantur, dant semen.

3. *Bulbosæ.* Bulbus ergo propriè non est Radix, sed est modò hybernaculum plantæ, nam si mense Septembris talis bulbus sumptus, & per medium descissus in aqua maceretur, tum ope boni microscopii ibi tota planta in medio bulbi apparet, si ergo ille bulbus verno tempore plantam producet, & floreat, tunc putrescit & perit, sed tum novus nascitur, qui nullas Radices habet, sed omnia filamenta radicalia pertinent ad bulbum prioris anni, tales sunt Radices Liliorum, Radices Tulpæ, hique bulbi sunt hybernacula plantæ futuræ, quæ habent tenue capillacium, & sub hoc ponuntur novæ plantæ, nam hic multæ sunt, quæ sibi invicem imponuntur, quæ singulæ dant gemmas, & habent modò unicum capillitium & hæ squammæ sibi invicem recipientes sibi incumbunt. Hæc *bulbosa* dicuntur, vel cum fragmentis bulbosis vel bulbosa Tunicata, qui est modò ventriculus plantæ, omnem succum plantæ concoquens, non Radix recentioribus dicitur cor.

4. Sunt *Squammosæ*, quæ à glebis sibi invicem appositis conficiuntur, ut in Liliis.

5. *Carnosa.* Ut in croco vermiculari Latifolio, bulbus hic est ventriculus plantæ, qui digerit succum, & hæ omnes habent externum tuber, quod anno præterito fuit ipse ventriculus,

lus, jam verò ad Autumnum aliud in ejus locum natum, hinc facilè à ventriculo discedit.

6. *Tuberosa* sic etiam hic est ventriculus, in quo succus digeritur, hic semper quolibet anno aliquid ascedit, vel decedit externè, ut in *Ascodelo*, & *Pæonea*, hæ sunt omnes radicum species. Sic ergo Radix primò plantam firmat, secundò nutrimentum à terra haurit; verum quælibet pars plantæ terræ mandata haurit succum à terrâ, & eatenus planta in omni superficie potest dici radix, aliter enim sunt plantæ, quæ non habent radices, ut quæ in aëre hærent.

Anatome Radicum.

Radix dicitur corpus quo jungitur alteri corpori. *Malpighius* docuit omnem plantam habere radices, quarum fibrillæ sunt corpora pertusa infinitis fistulis, quæ à terrâ accipiunt nutritivum succum adactum, habentque alias fistulas, quas mittunt supra terram per quas excrementa sua deponunt, & hinc Radix constat duplici genere vasorum, 1. lateralium absorbentium, & 2. excretoriorum, quæritur, quamnam materiam hauriunt, an aquam an non? nam hoc non aliud est quam firma basis, quæ impedit, quo minus fistulæ comprimuntur, hæc quoque admittit humores intra se & fibras *Helmontii*, sed re verâ est sal, oleum, & sapo; ex hisce & aquis tenuibus permixtus, adeoque in aqua hæc potest fluere, in gremio terræ adest debita ratione frugifera, imprimis cum cœli calor adveniens omnia solvit, & a-

quam reddit mobilem, hinc ubi calor agit, ſuccus in plantâ rareſcens diſſipatur, ergo fiſtulæ exanimantur: verum terra premitur mole incumbentis Athmoſphæræ; ergo ſi fiſtulæ ſint evacuatæ per præcedentem ſolem, ſuccus motus hac aëris preſſione in plantas adigitur, docemur enim per *Boylei* experimentum, quod ablatâ aëris preſſione planta non creſcat; ſcimus quoque ſi planta conſtringatur eam pariter non creſcere; ergo ſal, oleum, terra & ſapo magis magisque adiguntur, cum ſuperior plantæ pars ſupra aquam manens, datur perpetuò locus ut ſuccus ingrediatur, & ſic plantam extendit juxta ſeminum naturam; in quibusdam plantis radices decidunt, ſed horum loco tubera ſubſtituuntur, in quibus ſuccus magis magisque elaboratur & perficitur. Planta ſemper hæret affixa alteri matrici, quæ plerumque terra eſt, licet etiam aliquando ſaxis & animalibus adhæreat; plantæ ſi eradicentur ſeu à corpore adhæreſcente ſeparentur, brevi pereunt, niſi mox alteri jungantur; ſic & ipſa terra ſemper alicui corpori adhæret teſtantibus obſervationibus.

Omnis Radix externè habet membranulam tenerrimam, quæ ex globulis cavis & ſphæricis fit, qui globuli in orbem poſiti faciunt exteriorem ſuperficiem, ſi hi cavi adhuc ſint aperti hauriunt terræ ſuccum, & ad inferiora deferunt, ſi jam interiora ab hoc ſucco allato intumeſcant, tunc comprimunt exteriora, & faciunt ſic hanc ſquammoſam fuſcam ſuperficiem, & hoc dicitur *Epitermis plantæ*, hæcque propriè poros firmat, & ordinat, & crinis dici poteſt: in Epidermide hiant quatuor Emiſſariorum genera, 1. quæ nutrimentum hauriunt, vel

vel dimittunt in fiſtulas rectas, 2. fiſtulæ aëreæ, quæ plus aërem, quam ſuccum aquoſum hauriunt, dicuntur tracheæ à *Malpighio*. 3. Quæ humores quosdam dimittunt, ſic ſunt quadruplicia genera vaſorum, 1. Aër & humores accipientes, 2. dimittentes, & 3 accedunt vaſa lignoſa priora ſuſtinentia, nam fibroſa ligamenta æquè ac in gramine ac Cedro habentur, ſuntque in gramine fibroſa ligamenta ſænum facientia, 4. quæ aërem emittunt.

De Ortu Epidermidis in homine multum diſputatur, ſed an non quidem in hominis & plantæ Epidermide ſit convenientia, fortè probabile eſt, nam in plantis ſunt externæ cavæ ſphærulæ, quæ tumore implentur, & ſic internè ventriculum implent, & hinc exſiccantur & quotannis decidunt, ut & in homine quotannis fit.

2. *Eſt Cutis Radicis*. Quæ ex talibus ſphærulis, quibus Epidermis conſtat, componitur, & hæ ſibi parallelæ incumbunt, & innumerabiles ſeries faciunt, hæ ferunt verſus centrum Radicis ſuccum *id eſt verſum medium* ipſaque cute innumeris utriculis conſtantem, circa quos ponuntur fibræ oblongæ, quæ omnes ſunt canales non recti, ſed ex parvis cylindricis particulis inſtar valvularum conniventium compoſiti, & hi adſcendunt ad omnes partes plantæ uſque in apicem, & ſic quoque Epidermis & Cutis adſcendit.

3. *Veſiculæ oblongæ*, *Aëreæ* ſibi incumbentes & per totam plantam decurrentes in ſpirales lineas ductæ, & continent plerumque tamen aërem, & ponuntur circa ventriculos & fibras; hæ dicuntur *Tracheæ*.

4. Eſt vaſorum genus quidem, quod per to-

tam longitudinem decurrit in cortice externo, & hæc oleum vel Therebinthinam continet, denique ſunt vaſa ſeu utriculi recipientes nutrimentum, & horum unus aperitur in alium; hic iterum in alium & ſic porro, hique circumdantur per ſpirales fibras, quæ plenæ ſunt Aëre, & ſic cum aër non poteſt per duo momenta in eadem caloris temperie manere; hinc tum ſemper materia movetur, & quò calor major, eò plus movetur, & quoque expellitur; hinc æſtate veſperi plantæ exareſcunt, & dein cum nec calor, nec aër urgeant; hinc utriculi vacui iterum implentur, & ſic planta dum noɛte quieſcit, repletur & nutritur; ſic plantarum cor videtur eſſe Tracheæ Aerëæ, & quod calor ſolis ſit ſpiritus agitans. Trachëæ faciunt idem, quod ſyſtole & Diaſtole in arteriis. Radix eſt ſuperficies nempe Epidermis ex ſphærulis conſtans, quæ per poros inviſibiles ſubtiliſſimum terræ attrahit, & quæ externæ ſolis aɛtioni maximè exponitur, & ſic hæc materia concoɛta verſus finem corticis vadit, dein humor ſe inſinuat in fiſtulas has longas, non reɛtas; illa materia hic ſubſiſtere nequit, nam tracheæ aërεæ premunt hic utriculos ab aëre in tracheis rarefaɛtos, & ſic ſurſum fertur.

In chymia demonſtratum eſt, quod nunquam idem calor in eodem loco manet, quin potius in ſole, qui mox adſcendit ad meridiem, mox ad veſperam vergat; hinc noɛtu frigus major; hinc hæ tracheæ contrahuntur, & utriculi & fibræ ſpirales rore implentur, ſi verò jam Sol oriatur, tum tracheæ aëreæ ſe expandunt, nam aër in his rarefit, & hinc hi utriculi de die deplentur, & ſic ſit circulatio per plan-

plantas, jam verò vasa oleosa inserviunt, ut Hyeme, quum plantæ dormiunt, frigus & marcorem arceat, sic plantæ se habent quo ad corticem; planta verò nutrimentum ab arenâ solâ capere nequit, nec etiam argilla plantam sustentat, sed suffocat, nam argilla æstu lapidescit: verum si admisceatur arena ut argilla porosa fiat; & igni admitti possit, tum fit terra frugifera, & sic hæc materia requiritur ad nutrimentum, quod primò à terra tali abit in radicem, dein ramos & folia.

5. *Liber* est tenuissima pars circa corticem & lignum, hoc est initium plantæ, & hinc hi utriculi ut versus centrum progrediuntur, & quò propius ad librum, eò minora fiunt, & in medio faciunt tenuem papyraceum corticem, est ergo liber modo compressio facta in partibus antea dilatatis, ut quæ hodie apparent tenerrima, sequenti anno sunt compressa, & faciunt lignum; ergo lignum interius non potest perire, sed cortex; sed si jam utriculi intumescant, tum cortex decidit, & fissa perit, & sic quod hoc anno cutis pars ejus superior est, sequenti anno erit Epidermis.

Lignum est cortex tectus, qui habet strias paulo majores cæteris, ibique cava media, quæ oleo fuere, impleta, quæ verò paulo minora sunt fibris spiralibus ut in omni ligno patet; ergo lignum est series utriculorum fibrarum lignearum & spiralium aërearum, vel in medio vasorum therebinthinorum vel lacteorum, vel gummatum ut in cerasa, sed quodammodo fit lignum nam *Malpighius* demonstravit, quod quotannis ad extremam Epidermidis partem oriatur aggestio novorum utriculorum & novarum fibrarum à Radice incipiens, & sic

in totam plantam ad acumen adſcendens, ſed quo modo? hi utriculi turgentes ſe æquè extrorſum ac introrſum expandunt; hinc faciunt externum aggregatum, & hi comprimuntur ab internis, hinc cortex premitur in lignum; nam medulla comprimit hæc vaſa tenuiſſima, ergo minus fluidi habentia plus firma ſunt; hinc ibi fit aggregatio vaſorum, & ſic lignum, ita ut lignum tantummodo ſit cortex compactus ſeu corticis orbiculus: nam ſi per centum annos arbor creverit, tum & centum orbiculi apparent, qui ejusdem ſtructuræ ſunt, niſi quod interius fiant denſiores. Si arbor diu creverit, tum medulla dimidiæ plantæ ſuffocari incipit, & ibi accipit quaſi gangrænam ſeu cariem, tum lignum conſumitur, & tandem totum fit cortex. Fruſtra ergo proponitur quæſtio, an per corticem, an per interiora fiat nutritio? nam in omnibus partibus perfectè fit.

Cortex verò conſtat folliculis ſeu canaliculis, quæ coeunt inter ſe, & humores recipiunt, hi dicuntur à Veteribus venæ meſeraicæ (nam tum venæ lacteæ nondum erant cognitæ) quæ ſuccum crudum externè hauriunt, & deferunt ad radicem, ubi coeunt in unum & dicitur cor, & ſic planta excreſcit, quæ eſt collecta congeries fibrarum diverſarum omnium, quæ coeunt in unum, & caudicem faciunt.

Quid jam ſunt Rami? cortex habens hos diverſos folliculos eos iterum diſpergit, qui diverſi iterum dicuntur rami; hinc nil eſt in planta, quod non in radice antea fuit. Rami non ſunt niſi cortex explicatus, unde patet ramos & radices arborum à ſe invicem non differre niſi quod hæ in terrâ, hi verò extra terrâ ſunt poſiti, & Obſervationes docent, quod ſi hæ plan-

plantæ invertantur, scilicet ut earum Radices tum æquè germinant, folia, fructus, floresque producunt, ut aliter rami solebant.

Folium est flos omnis fibræ & utriculi in quodam loco collecti, qui format punctum eminens, quod dicitur nodulus seu gemma, quod in tenellis ramis observatur, hic nodulus format primo anno folium, quod iterum continet tuberculum, quod sequenti anno seu vere fit folium, hoc format alam ad pedunculum, & ejus centro nascitur tuber, quod à foliis æstate conservatur, & tegitur, & sequenti anno flos dat. Omnes fibræ hic in folio abeunt in assurgentes conos & Epidermidem, & vestitæ faciunt folium, quæ sequenti anno in calicem floris abeunt; hinc videtur ratio, cur idem est, an sumamus gemma ad inoculandum, vel an semen frugiferum terræ committamus. Folium est tenerrima Epidermis tenerrimi utriculi, fibræ ligneæ, aëreæ, & therebinthinæ, sed hæc hic exponuntur per superficiem tenerrimam, & sic folium ex tot plexibus utriculis constat, ut *Malpighius* dixit rete pulmonali malpighiano non obsimile esse, & succi hinc acti, ubi pervenere ad has gemmas, faciunt folium, quæ est ratio, quare plantæ hic vesperi respirent, & succos coquant, nam tempore meridiano flaccidæ hærent, quia materia partim avolavit, partim in planta rediit, vesperi verò iterum accipiunt in suos utriculos nutrimentum, ut erigantur, ex his omnibus patet, quod folia sunt quasi gemmula explicata, gemma sunt involucra vel folia vel flores. Pullantium gemmarum folia sunt pulmones plantæ, succus haustus mutatur, per transitum distribuitur, ubi perveniens invenit extremitatis

involucra, quo in ſemperviventibus tranſit ibi, ubi maximam patitur diſſipationem, ut quaſi chylus in noſtro corpore evadat nutritius, ſi hoc fiat in foliis; adeoque ſunt ferè organa vitalia quinque, denique folium habet rudimentum floris futuri.

Flos verò eſt pars tenerrima reſpectu plantæ, & folio multo tenerior, & hinc ſuccus derivatur pro incremento novi fœtus; nam in Autumno folium cadit, & relinquit gemma pro flore, & hæc gemma æſtate elapſa à folio nutriebatur, & ſic flos anno integro ante naſcitur. Flos ergo primò conſtat Epidermide plantarum, ſecundò petalâ in nonnullis, tertiò ex ovario cum utriculis; verum propriè dici non poteſt, quid ſit, nam quid flos ſit in floriforis, neſcio, quædam enim plantæ non habent, ut in Corona Imperiali, quæ dat tenuiſſimam epidermidem floris, qui in nonnullis in calicem explicatur, ut in Ranunculo, & in nonnullis in petala. tres trachæ aëreæ ſunt, quas *Malpighius* demonſtravit, eſſe florum pulmones, qui anno præterito fuerunt folia, & hæc exeunt verſus pedunculum qui ſic expanditur; *Clariſſimus Vaillant* dicebat, quod hæc petala ſternant lectum nuptialem pro organo generationis, & ea organa tegant, ſed puto tamen hic aliquid hærere, quia ibi ſemper mel, quod apes hauriunt, invenitur; hinc *Malpighii* ſententia probabilior mihi videtur. Accuratam florum definitionem dare non poſſum, ſed eſt quaſi cerebrum, in quo non modò tenuis redditur, ſed ad eam proprietatem redigitur, ut fiat aptus ſemini, & tum conſtat ſemper calice, unde fructus egreditur, nam cum ſemen exiguum ſit, ſubtile requiritur ad id nutrimentum.

Ca-

Calix & petala non multum differunt, nam ubi calix, ibi petala eò tenuiora, & ubi petala non adſunt, ibi calix eò craſſior id eſt flos; ergo mas dicitur flos imperfectus, ut eſt mercurialis mas. Flos fœminæ eſt imperfectus flos ut eſt mercurialis teſticulata.

Flos Hermaphroditus. Flos perfectus dicitur, & tamen ſimul piſtillum & ſtamina adſunt, ſi ergo Flos piſtillum, ſtamina & ſimul calicem & petala habeat, tum dicitur Flos completus, non ergo eſt de natura floris calicem vel petala habere.

Pedunculus dat ſemper placentam, & hinc fiunt utriculi novi, & plerumque ſunt ſex corpora, & unum in medio, hæc ſex dicuntur ambientia ſtamina, & hæc terminantur in teſticulis, ſi ergo hæc ſtamina habeat, tum dicitur mas plantæ, ſi verò hæc non habeat, ſed è contrario vaginam cum ovariis & uterum, dicitur fœmina, ſi utrumque, dicitur Hermaphrodita, vagina ergo vel piſtillum non cum ipſis ſeminibus ſed cum uteri membrana cohæret; nam in ſuperiori parte hæret corpuſculum, ſtaminibus accretum teſti perfectè ſimile, qui teſtis pulverem habens applicatur mediæ hujus corporis parti, & ſic ſemina in ovario fœcundat, ſi hoc non fiat, ſemen non fœcundum erit, & licet terræ mandetur, non creſcet. His ſex ſtaminibus abruptis manet pars inedita, manet uterus & vagina, quæ ad ſuperiorem partem habet aperturas, & hinc ille pulvis à teſte defertur per has aperturas ad Ovarium, ubi ova ibi hærentia in nonnullos loculos fœcundat, hic in Corona Imperiali in ſex, in aliis numerus variat, & hæc ſemina ſi ſeminentur, dant iterum plantam.

Hæc

Hæc ergo eſt fæcundatio plantæ tam mirabilis, nam quot ſunt gemmæ, tot ſunt flores, quot ſunt ſemina, tot ſunt novæ plantæ, & hinc videmus tam innumerabilem quantitatem, nam vide caput papaveris albi, erit numerus ſeminum innumerabilis, & ſic cogita, quot plantæ hinc produci poſſunt, ſic aſpice pomum fructibus plenum, in quibus pomis ſunt ſex ſemina, quæ ſeminata maturam dant plantam, atque ita infinitam fæcundationem videtis. Quomodo nunc fit mechanica plantæ actio? frequentiſſimè hauriunt ex terra nutritionem; terra verò bona nutritiva conſtat duabus partibus. Primò ex partibus cryſtallinis arena dicta; ſecundo ex partibus ſalinis, oleoſis, aqueis, ſaponaceis, quæ bina conjuncta faciunt terram fertilem.

Fructus eſt id quod flore mutato conſtat, non ſemen ſed καρπὸς id eſt ſemen cum involucro ſimul, & hoc involucrum ſemen fovet ad maturitatem, ſicque defendit, ne explicetur, aut ſuccus avolet, non vis ſpermatica, nam nunquam terreſtri ſucco nutritur, ſed illo in lobis contento.

Botanica.

Doctrina herbarum ſeu Botanica eſt ea ſcientiæ naturalis pars, quæ docet ſtructuram, vires, uſumque plantarum, dicitur & materia ſeu res herbaria; qui etiam hanc tractat ſcientiam, Botanicus & Acrotomos dicitur; hoc nil aliud eſt niſi methodus, cujus ope feliciſſimè & minimo negotio plantæ cognoſcuntur, & in memoria retinentur: quid eſt cognoſcere plan-

plantas (nam plura jactemus, quam præstare solet) id est scire quale nomen vivæ plantæ aptum sit dandum, nam non notat, quali virtute sit prædita planta, sed faciem tantum externam docebit hæc scientia; ergo nil in hoc systemate est annotandum, nisi quale nomen plantæ sit dandum. Disciplina Botanica est omne illud cui debetur definitio plantæ antea datæ describere lege artis ita ut unusquisque qui didicit hanc disciplinam, inde cognoscatur, qualem plantam intelligat, hæc verò disciplina est duplex. 1. Vel quæ tractat usuales plantas ratione Medicinæ vel culicæ vel mechanices 2. complectitur omnes plantas à naturâ productas, hæc dicitur historia naturalis, & æquè plantas usu & virtute commendatas quam plantas (quoniam virtus ignota est) venenatas, quod maximè utile est, 1. quia multæ plantæ si non detegerentur, earum vim cognoscere esset impossibile, & si vires detegerentur, tunc tamen diu hæc planta ignota maneret, sed nunc cum hæc cognita sit, statim ad suum genus refertur, unde statim ejus vis patet, sic si papaver non esset descriptus, tum Opii virtus non innotuisset, & dici deberet, planta quædam ignota has vires habet, 2. accedit multas plantas esse venenatas, & hinc cum medicus semper debet dare Venenorum antidota, hæc minimè negligenda sunt, & hominibus talium plantarum abusum medicus indicare potest, sicque omnes plantæ vires medicatas noxiasve habentes etiam non sunt negligendæ, nec quoque hæ, quarum vis nondum est descripta, ergo hoc studium est infinitum, unde semper opportunitas aliquid novi detegendi, nam est disciplina inexhausta.

Cla-

Clarissimus Bauhinus omnibus plantis ex omnibus Auctoribus collectis 6000 recensuit, addiditque 600, tum disciplina videbatur esse exhausta, nam numerus plantarum ferè ad 7000 adscenderat. Dein Drakenstein in Indiæ, Americæ, Zeilon itinere idem recenset & addidit instituto itinere per insulas maris mediteranei 1356.

Post eum in India Orientali *Bontius*. In occidentali *Piso* & *Marcgravius*, & iterum in India orientali collectores *in horto Mallabarico* 12 *vol. in Folio:* qui omnes Auctores modò ferè à se de novo inventas plantas tot voluminibus descripsere, dein *Hermannus* plurima addidit. porro *Carolus Plumier* solus triplici itinere per Americam ultra 900 plantas à nemine descriptas descripsit, licet tamen in hac terra tot egregii viri collectiones botanicas instituerint, tamen *Piton Tournefortius* ultra 10000 ut jam cognitas recensuit, & ad numeros redegit, ille omnes libros botanicos, quos ante octaginta annos *Clarissimus Bauhinus* evolverat, uti & omnes libros postea editos evolvit. Præterea in Jamaicâ *Dominus Hansoo* plurimas plantas in duobus voluminibus in folio descriptas detexit, & sic hæc disciplina eo provecta est, ut jam 160000 plantæ esse dicantur, & *Doctor Scherard* omnes has plantas in suo libro ita optimè descripsit, ut nulla manebit difficultas; veteres verò singulis plantis nomen dederant, hinc tum labor erat infinitus.

Porro *Cæsalpinus*, *Gesnerus*, & *Fabius Columna* ferè eodem tempore surrexerunt. Cum ergo systema sit inventum, ut satisfiat facilitati, tum non debemus spectare naturam, sed summam facilitatem ad addiscendum, nec di-

cere

cere cum *Rajo* natura sequenda nec sejungenda, quæ jungit, certè si natura inserviat facilitati eam sequar, sed cum adversetur memoriæ & facilitati redigendi in ordines, ab eo recedimus, nam cognitio non explicat naturam sed signa præsentia, nunc quæritur ex quo fundamento illa nomina sunt danda, cum tot sint nomina, impossibile est, ut in memoria retineamus; hæc nomina sunt fingenda ex aliquo quod in planta est, nec ab eo recedit, non ergo Chelidonium dicendum est Vernale quia tum floret, hoc nomen abit, sed ex aliquo quod in herba video, & hæc est structura, quæ cuique plantæ est singularis, & aliquando unum commune invenio, ex similitudine inter has datur quoddam nomen, id est generi cum omnibus eo pertinentibus, hæc similitudo quærenda est in plantæ partibus visibilibus, uti foliis, ergo convenient quidem in uno vel pluribus simul, quæ tunc in omnibus conveniunt ad unum genus sunt referendæ, quæritur jam, an similitudo ex omnibus plantæ partibus sit petenda an non? si ex omnibus impossibile est, quia vix duæ plantæ sunt, quæ in omnibus sibi conveniunt, ergo hoc augeret difficultatem.

An à radicibus sunt definiendæ plantæ? minimè nam non possumus semper has è terrâ avellere, ut conspiciamus omnes; tum saltem essent fibrosæ vel bulbosæ vel tuburosæ; ergo ab aliquo evidenti signo, constanti & facilè describendo petendum est. Pars verò maximè constans & clara est Flos & fructus, ergo ab his communia signa sumi debent, unde nomen genericum accipiunt plantæ. Prima hæc inventio *Conrado Gesnero* debetur. *Fabius Colum-*

na:

na eandem fere secutus est methodum, sed maluit à solo fructu desumere, dein *Caesalpinus* quem *Morisonus* secutus est; hinc *Hermannus*.

Clusius ornamentum hujus academiae quoque cogitavit de descriplina formanda, eaque facilè reddenda, hinc plantas primò in duas classes distinxit, ut Dichotomiam haberet, nam tetrachotomia & hexagotomia semper confusionem faciunt, sic dixit omnes plantae sunt Monocotylidones vel Dycotylidones.

Dein his accessit *Hermannus*, & inde omnes inclyti in Europa Botanici, qui omnes ab ovario & fructu plantas in classes redigerunt, sed cum dein visum fuerit ovarium cohaerere flori; hinc florem quoque considerare debere putarunt, & hinc tum dein omnes plantas ratione florum diviserunt in florem habentes, & non florentes iterum distinxerunt, ut petala habentes & apetala, dein iterum petala habentes in monopetalas, Dipetelas, Tetrapetalas & sic porro, & sic numerum sex excedentes polypetalas dixere.

Tournefortius in hac re solus ab his discessit, quod nempe hi voluerint plantam dignoscere à parte magis conspicua nempe ovario, & flore, *Tournefortius* à solo flore & petalis distinctionem fecit, & hinc laborem immensum adhibuit examinando florem quam accuratissimè, sed in ejus systemate habetur magna difficultas, quam *Rajus* demonstravit, jam ergo quaeritur, quodnam sit optimum systema, & an dari possit dichotomia.

Omnes plantae semen ferunt, quod semen matrici datum Embryonem evolvere & novam plantam producere incipit, hoc est commune

om-

omnibus plantis, quod de suo ovo matrici dato crescat; jam verò plantæ hærent in semine ut sunt *monocotylidones* vel *Dicotylidones* sic *Rajus* optimè Dichotomiam fecit, modò una vel altera planta excipitur.

Cotylon, est placentula sive corpus glandulosum, cujus ope infiniti fructus utero adhærent, & per quod à matre suum nutrimentum capit.

Monocotylidones dicuntur jam, quæ nec folia bina efferunt, nec lobos binos condunt, sed ubi Embryo hæret in meditullio bulbi; hinc rectâ erumpunt, cum unam saltem habeant basim, unde emergant. Tales sunt allium, ulci bulbus externè foliis constat, sed in medio hæret planta futuri anni, quæ est Monocotylidon, sic omnes musæ, omnes palmæ, omnia cerealia sunt Monocotylidones; uti & draco, jam semen earum satum ex rotundo semine folium gramineum emittit.

Dycotylidones dicuntur quarum semina sata binis foliis anomalibus seminalibus dictis è terra prodeunt, vel in binos lobos dividuntur, quamvis eæ supra terram foliorum specie haud efferant, ut pisa & hæ plantæ semper habent Embryonem inter placentulas, unde videmus, quod omne semen sit uterus, & in eo recondita planta; porro habent semper folia fusca vel duplicata; sunt verò vel apetalæ vel Petalodes flore seu bracteato.

Bracteatæ sunt semine nudo vel non semine nudo vel gymnomonospermæ, gymnodispermæ, gymnotetraspermæ, gymnopolyspermæ.

Vasculiferæ sunt Monangiæ, Diangiæ, Triangiæ, Pentangiæ, Polyangiæ, Siliquosæ.

Monangiæ sunt Bivalves, Bicapsulares, Quadricapsulares, Quincapsulares, Polyspermæ, Tetra-

tra-

trapetalæ, Siliquosæ, Leguminosæ, Papilionaceæ, Bacciferæ, Pomiferæ.

Eadem distinctio in arboribus obtinet locum, plantis liquosis perennibus.

Liquosa sunt corpora, quorum caudex est durus & difficilè scindi potest.

Monopetalus est Flos cujus petala sunt fissa, tamen unum constituunt corpus continuum, ille habent florem vel rosaceum vel companulatum vel tubulatum.

Polypetali sunt, quæ constant petalis separabilibus hæc est vera Methodus Botanica quæ omnibus aliis præferenda est, molestia est florem & fructum exspectare antequam nomen imponi queat.

Sic Rajana Methodus videtur omnium optima; omnes monocotylidones iterum distinguebant in plantas flore conspicuo & flore non conspicuo, 1. flore non conspicuo erant omnes spongiæ, fungi, fungoides, omnesque plantæ capillares. 2. Flore conspicuo, quales sunt innumeræ, & has iterum diviserunt in apetalas & petala habentes; Apetalæ sunt omnes gramini folio, quæ ex foliis constant.

Petala habentes sunt, ut triloculares, vel diloculares, ubi ovarium ex duobus vel tribus loculis constat, omnes hæ sunt iterum bulbosæ vel tuberosæ non radice capillari, & in his *Tournefortius* per flores optimè destinctionem facere potuit, sed capillares modò folia habentes juxta suum systema distinguere non potuit, sic Arbor Draco discerpitur in folia, sic & ejus gramen in folia, & quoque in Pæonia, si folia discerpantur, planta perit, dein *Dycotilidones* quoque in duas lineas dividuntur nempe per florem perfectum, & non perfectum seu in-

incompletum habent, ſi calix deſit, tum dicitur Flos nudus; ſi petala deſint, tum dicuntur apetala, & tum calix adeſt vel non, ſi non tum dicuntur *gymnoſpermæ*.

Si verò calix adſit, tum dicitur *Enangioſpermæ*, *Diangioſpermæ*, *Monangioſpermæ*, ſic *Rajus* optimè ſyſtema *Cæſalpini* ut & *Tournefortii* invicem junxit, & ex his unum fecit.

Sunt plantæ quæ creſcunt ſub mare, non puto maritimas, ſed ſubmarinæ, quæ ſunt ſimpliciſſimæ; omnes vix contingunt aërem, vel hærent in pingui alveo maris, ubi putrefacta adſunt corpora, hoc eſt fimus, qui dat pabulum plantæ; & adhærent ſemper alicui corpori, ut ſaxo, cui penitus aliquando irradicant, ut in marina lactuca, quando ſemen cecidit ſupra hoc corpus, in earum ſemine videntur eſſe fibræ tam exiles, ut in fiſtulas lapidis creſcere poſſit, & inde trahat nutrimentum, licet *Tournefortius* contradicat, quod etiam à ſaxis nutriantur, ſed non video rationem, ſic etiam ſemen coralli ſaxo apprehendens ſe jungit per fibras; hinc procreſcit & nutrimentum procul dubio ex lapide trahit, ſed unde vegetant? non videmus ullum corpus organicum quod non primum etiam fuit; hinc debuit in primâ creatione etiam exſtitiſſe, hinc etiam ſemen & hoc ſemen ſub mari. Aliquando etiam ſupra lagenas & ſimilia corpora hæc creſcunt: verum contingere poteſt, ut Radices ſe corpori applicantes ex fundo tamen maris nutrimentum capiant;

Plantæ

Plantæ submarinæ.

Lithophyta à λίθος lapis & φυτὸν planta; omnes plantæ, quæ habent hos characteres, ita vocantur.

Allisu sonoro id est plantæ quæ crepitationem edunt si corpori dura allidantur.

Fungi.

Forma est cognoscenda, parte inferiori uno pedunculo crescit, habetque lamellas sed inversas.

Encephalon græcè, significat latinè cerebrum, cui assimulatur.

Fuscum à colore.

Gyris ut clarè patet.

Serratis. Quia extremitas quasi serram habet, hanc accepi ex America, & Natatores hic submergendo eam capere debent, hic omnia synonyma Auctorum addidi; *Tournefortius* dicit se non vidisse ex mille unum cum pedunculo.

7. Ex America allatus, ille pedunculum firmum habet; usque ad octavum numerum, sunt Encephaloides & jam veri fungi sequuntur.

9. Ex infimo mare delatus ex Nilo, primo aspectu fungos non esse sed piscium ossa credebam.

16. *Agaryci* id est referens gyros intestinorum.

Eadem natura sunt Coralloides, quæ possunt omnes pro acido temperantia habere, eundem-

demque uſum ac Coralloides habent, inſerviunt quoque piſciculis, qui ſe ſub his plantis recondunt, ne à majoribus devorentur, & ibi generationem quandoque exercentes domicilium habent.

Corallia.

Eſt planta ſubmarina formâ ſolidâ inſtar Articuli, vulgò dicitur perfectè eſſe ſolida, ſed tamen habet poros, per quos nutritur, vel aliquid parat, nulla folia, flores, nec ſemina apparentia habet.

Arbuſculæ. Nam in ramos ſe extendit; ſuffruticis, ut parvus frutex eſt cortice mucoſo tectus, id patet in madreporæ ſpecie, quæ mucoſam & utcunque mollem habet corticem; hinc *Tournefortius* has arbores Coralliaque per hanc corticem nutrire putat.

Bulba. Supremus Arbuſculi apex, dum ſub mari hæret, format tuberculum, & molleſcens facit loculos, & guttam lacteam ponderoſam fundit, quæ gutta tuberculum rubrum formans ſe expandit in arborem, nam gutta aquæ non miſcetur, ſed apprehendit rupem vel aliud corpus in fundo maris ſolidiſſimum, & concreſcit cum eo inſtar unum ſolidum corpus. Omnes ſcriptores putant tenax eſſe corpus, quia duritiem, cum ex aquâ prodit, accipiat, ut omnes dicebant Veteres, quod nempe ex aëre duritiem capiant; *herba fuerat mollis in undis dicit Virgilius* ſed eſt ſatis durum ſub mari, hinc ibi molles ſunt, ſed in aëre dureſcunt.

1. Dividitur à colore, ramoſitate & magnitudine, hærent in profundo mari ad rupes, hæc

ſpecies eſt pretioſiſſima; uſus omne acidum acidiſſimum abſorbent; hinc curat omnes morbos ab acido in primis viis, ut in fæminis & infantibus, & quia hos tollit morbos, fuit antiqua opinio, quod Dæmones pellant; omnia enim medicamenta hyſtericos morbos, & dolores ſedantia dixerunt eſſe Veteres remedia Dæmonem pellentia; Chemici mirabilem Tincturam ex his eliciunt hoc modo, coralliis per menſem calcinatis Alcohol vini affundunt, tum tantum rubedinem accipiunt, ſed non video illam prodeſſe Tincturam. Optima eſt planta in Diarrhæa, Dyſenteria & ſtomachi aciditate, ut in infantibus.

2. Baſis eſt ut ſpecies Conchæ.

3. Corallium perfectè referunt, & potius ceſpitem quam Arbuſculum refert virtute eadem.

4. Ex ultimis locis Cataloniæ ad me eſt miſſus, virtute eadem.

5. Album præcedentibus craſſius eſt, non longè magis ramoſum.

6. Longè adhuc ramoſior, ſed tamen præcedentibus ſimile.

7. Attingi nequit, quin ſemper partes decidant, ſed perfectè tamen corallium eſt.

8. Hæc creſcit ut rubrum antea.

9. Arbuſculus eminet in hujus medio.

Hic ſequuntur polychita, Digitata, Rupes, quæ omnia Corallia dicuntur.

23. In arborem excreſcit, ſed tamen non eſt verum Corallium, nam non tinnit, neque ita temperans eſt ut reliqua.

25. è Ultimis Hiſpaniæ locis allatum, ſi Microscopio examinem, eſt geniculatum, ſed multifidum ad apicem, multi ſcripſere de Coral-

ralliorum colore, sed mercatores hæc immergunt Aquæ Forti, & hinc lucri gratiâ eleganti colore tingunt. Omnia hæc sunt optima ad acida corrigenda, & ingrediuntur in compositionibus ut in confectione de hyacinthide

Opuntioïdes.

Sunt Trichomanes marini, crescunt in mediis saxis, habent corallorum naturam.

1. Illa quandoque hæret inter Corallia multifida statim demonstrata.

2. Opuntioïdes dicitur, quasi ramos dans, ut in hac specie usque. Adhibetur loco Anthelmintici Medicamenti, nam si folia jejuno stomacho propinentur, sunt vermibus aversa, quia per motum peristalticum suâ asperitate hæc animalia atterunt & interficiunt.

Madrepora.

Dicitur planta marinum Corallium referens, nisi quod primò intus alium colorem habeat, & secundò veris poris inducta sit. Prima foramen quodque & plurimos loculos diaphragmate stellato distinctos habet, quæ foramina olim clausa fuisse puto, sed tum matura fiat, dat ex his semina sua, cum operculo ab his foraminibus secedit.

7. Credo hanc tot habere vasa, quot sunt foramina, & ille species per totum Mare serpens ob seminis copiam margritifera fit. Licet hæc planta semper in mare nata ibi crescat, tamen aliquando in montibus fuit inventa, ut in Gallia accidit.

11. In concha guttula ipsa excrevit.

Eſchara.

Græcè cruſta dicitur, hinc hujusmodi notant plantas marinas habentes naturam corallii, niſi quod pertuſa ſit plurimis foraminibus nullius odoris nec ſaporis.

3. Eſt non ita dura, ut Madrepora, virtutes eaſdem habet ac Corallia.

Tubularia.

Eſt perfectè corallinæ naturæ, ſed conſtat ex fiſtulis perpendiculariter currentibus, & inter ſe junctis, habent exiguas radices, & gerunt in fiſtulis his ſemen ſuum, vocantur etiam Organum marinum, eſt coloris purpurei vel rubri creſcit ſub mari in petris, eſt adſtringens, hinc conducit in Diarrhæa & Hæmorrhagiis, *tubularia* dicitur à tubo, quia minimos habet tubos.

A κέρας cornu & φυτὸν planta; eſt planta ſubmarina, quæ conſtat lenta combuſtili in igne materia, in conchis creſcunt aliquando in craſſeâ ſubſtantiâ, aliquando ex ſquammâ lapideâ creſcit; omnes conchæ mirificè piſces accipiunt novam Epidermidem, & ſic quot annos vixerunt, tot lamellas habent, & forſan ſub his ſe inſinuat ſemen plantæ.

1. Huc redegi eam quæ ſi igne comburatur, etiam ut alia Kerathophyta fætet ut cornu.

7. Hæc planta eſt ambigua, nam ad corallia nempe nigra poteſt referri, quia etiam naturam Keratophytæ habet.

11. Valde rara ſpecies.

13. Hæc in mari circa Norvegiam invenitur,

tur, arbor valde ingens Titanokeratophyta. Titanos ſignificat apud Græcos gypſi vel cretaceæ cruſtæ genus, qui gypſi ſolebant lapides obducere ad meliorem pulchritudinem, quia verò talem cruſtam referrent, hinc hoc nomine inſignivi.

24. Hæc habet ſubtiliſſimum filamentum, quod baſin dat ramis.

Spongia.

Eſt planta mollis, levis, poroſa, quæ fungum referens in mari petris adhæret; omnes fere ſpongiæ adferuntur ex mari mediteraneo. Eſt inſula quædam in Aſia Icaria dicta ubi in magnâ inveniuntur copiâ; ibi Juvenes qui uxorem ducere volunt, in mare ſe immergunt ad ſpongias educendas, & qui plus in mari degunt, illi virgo præmii loco datur: qui mos eſt inde ortus, quia Turcarum Domino has ſpongias tanquam tributum dare debent. Ad vulnera nimis parva majora facienda hæ ſpongiæ adhibentur; hæ ſpongiæ combuſtæ dant pulverem optimum ad dentes mundandos. In ſpongiis aliquando minima corpuſcula inveniuntur, quæ corpuſcula microscopii ope apparent eſſe parvæ conchæ, quæ in pulverem contritæ ad nephritidem ſabuloſam & ſcrophulos convenire dicuntur, uti & contra vermes infantum. Hæ omnes ſi combarantur, dant pulverem abſorbentiſſimum, & odorem cornu ambuſti hinc inter ſtiptica materia habetur cretacea, quæ oppoſitam habent inter peſſima venena, ſi globuli horum calefacti hauriantur, pylorum obſtipantes mortem inducunt.

Fucus.

Eſt planta, quæ primò multos caules anguſtos & compreſſos germinat, qui caules ſe poſtea extendunt in parvos ramos, habentes folia ampla oblonga Quercum referentia, ſed minora, ſubſtantiâ ſuâ tenaci, membranoſâ, flexili, plerumque politâ, aliquantulum lanuginoſâ caulibus ſuis adhærentia, adſunt tubercula vacua aut bullulæ cum ſeminibus oblongæ vel obrotundæ aliquando majores vel minores; hæc planta eſt plerumque humilis, aliquando tamen ad duorum pedum altitudinem creſcit, recens capta eſt coloris flavi virideſcentis, ſed ſiccata fit coloris nigri, nunquam flores habet, ab illis veſiculis ſupra dictis liberetur aquâ dulci, marina, vel ſpiritu vini, hæ plantæ ab aquâ madefactæ, in ſole exſiccantur, tum diu aſſervari poſſunt, duplicem uſum habent, 1. pro aggeribus, nam materia non cedit aquæ, 2. piſcibus marinis pabulo imo & hominibus uſui inſerviunt, ſi comburantur, dant multa ſalia. Eſt optimum remedium ad vermes necandos, ſi pulvis ejus adhibeatur.

Muſcus marinus.

Hæc planta eſt denſa, ſe extendens in innumerabiles minimos caules tenues, fibras imitantes, ramoſos, lapidoſos, minima folia habentes, coloris cineritii videſcentis, odoris piſcis, ſaporis ſalſi & ingrati, inter dentes ut lapides minimi crepitantes. Inter digitos facilè rumpentes; nulli uſui eſt, niſi quod nutri-

mento inſerviat piſcibus, tamen dicitur eſſe optimum medicamentum ad menſtrua provocanda, paſſiones hyſtericas, Diarrhæam, & vermes necandos.

Alcyonium.

Quædam corpora marina ſunt omnes ſubſtantiæ & formæ variæ, inſerviunt nidis animalium, habent exſecus cruſtaceam & inſecus glutinoſam materiam, credibile eſt quod viſcoſam materiam contineant pro nutrimento plantarum & piſcibus; hæc planta combuſta & in pulverem contrita eſt optima ad dentes à ſordibus purgandos. Dicitur *Alcyonium* ab *αλς mare* & *κυω* gigno, quia hæc planta in mari creſcens Alcyoni tanquam nidus inſervit.

Aëre qui in aëre ſemper creſcunt, in his nullus apparet flos, quin ſtatim radix evaneſcat.

Fungus.

Eſt plantæ genus nullos flores, folia nec ſemina apparentia habens utericulis & aëriis faſciculis pedunculus conſtat, qui pedunculus eſt brevis, craſſus, fungoſus, inſtructus capitulo carnoſo, craſſo, ſpongioſo, obrotundo, aut compreſſo, aut acuto, ſoleaceo, ſæpe plurimas fiſtulas in tubos deſinentes habens Petaſus in pileum, unde ſervus apud *Plautum* videns aliquem cum magno pileo in ſcenam prodeuntem dixit, *mehercule de fungorum genere eſt*, *totum petaſum gerit:* inter lamellas habet uteros, qui infinita continent ſemina, olim creditum eſt Fungos fortuito naſci, & hæc ſententia fuit orta, quia modò creſcit in

 non-

nonnullis locis, ut ubi fimus equinus eſt, ſed hoc cum cæteris plantis commune habet, nam omnes plantæ non omni loco creſcunt, ſed quia ſemper eodem modo Fungus creſcit; hinc ex ſeminibus naſci puto, cur tanto amentur, neſcio (nam habent ſaporem fatuum) & pro magnatum epulis perhibatur, ad venerem incitare dicitur, ſed nil roboris hinc corpori accedere puto. Licet hi fungi tantum amentur in epulis, tamen aliquando effectus eorum fuit funeſtiſſimus, multi enim hanc plantam comeſti laborarunt, vel inde mortui ſunt; hinc valde neceſſarium eſt, ut ſciamus, quinam fungi ſunt optimi, hi creſcunt una nocte in fimo equino, mediocriter craſſi caſtaneæ inſtar, carnoſi, in parte ſuperiore albi, in inferiore rubicundi, compacti, medulloſi, fragiles, odoris & ſaporis grati. Pernicioſi ſunt illi, qui in terra nimis diu manentes, ſunt coloris nigricantis cærulei, aut rubri.

9. Arboribus innati habent pernicioſum venenum quod domari nequit; hi qui hos aſſumpſerunt, queruntur de anxietate magna, iiſque fauces ita contrahuntur, ut bibere non poſſint, ita ut à cane rabido eſſent morſi, & tandem ſuffocantur, optimum Remedium eſſe dicitur vinum, ſi non ſuccedat, tum acetum cum pauco ſale, ſi præcedens medicamentum vomitum non producat, hoc eſt non curet ægrum, tum lethalis eſt morbus, in hoc caſu etiam optimum eſt aqua benedicta Rulandi ad vomitum ſtatim excitandum.

Fungoides.

Omnia capita apparent ac ſi eſſent ſemina, ſed ſi examinentur, ſunt funguli novi; hinc ſunt

ſunt fungi proliferi; an eſculenti, vel venenati ſunt, dicere non poſſum.

Merulius.

Sic dicitur, quia fungus ille fructus Mori eſt ſimilis.

Agaricus.

Fiſtuloſa hæ fiſtulæ ſunt vaſa ſeminalia.

2. Hic creſcit ad vietas arbores, conſtat ex ligno fiſtuloſo, ſi tundatur malleo, & imponatur ſcintilla, tum omnes inflammati incenduntur; hinc Igniarius dicitur,

9. Purgat ut Agaricus.

Omnis hæc planta magnâ copiâ ſumpta perniciosa eſt, & ſuffocat, ſed officinalis tamen eſt purgans. Eſt excreſcentia quædam formâ fungi nata in trunco aut magnis ramis plurimarum arborum, ut Laricis & veteris Quercus, nomen habet ab Agarica vel flumine agarico: duo ſunt genera agarici, unus agaricus vocatur fæmina, quæ eſt alba, levis, friabilis, & tenera, ſaporis ſtatim poſt aſſumptionem dulcis, ſed denique amari, odoris penetrantis, quæ Agaricus eſt optima. Alter quem vocarunt mas, eſt flavus, compactus, gravis, tenax, hic nihil valet, creſcit plerumque in veteri trunco Quercus, hæc planta purgat omnes ſeroſos humores, obſtructiones tollit, urinam promovet, corrigitur ejus acredo cinnamomo vel zingibere; convenit in catarrhis, ingreditur in compoſitionibus ut in confectione de hierapicra.

8. Verò amæniſſimus & gratiſſimus pro eſcu-

culentis inſervit, nam cum limonibus certare poſſit.

Lycoperdon.

Eſt ſpecies fungi nucis magnitudine, eſt planta rotunda, membranaceâ albeſcens, in initio medullam humidam continens, ſed poſtea illâ medullâ ſiccatâ fit pulvis ſubtilis, adoris ingrati, creſcit in locis arenoſis humidis poſt pluviam delapſam, ſi pede attingatur, crepitat, & pulvis in auras avolat.

Omnes innumerabilibus veſiculis conſtant, quæ humores lacteos habent, unde poſtea fit pulvis inſtar fumi avolans, ſi microſcopio inſpiciatur, ſemen eſſe apparet.

1. Pulvis eſt ſummum remedium contra Hæmorrhagiam.

5. Si inverſa planta ſit, pileum hodiernum refert.

Vocatur crepitus lupi à λύκ@ lupus & πέρδω *crepito* quaſi *crepitus lupi* putaverunt veteres, quod lupi ſtercus in talem abiret fungum. Omnes ſpecies ſunt venenatæ, & eſt venenum peſſimum, ſi à pulmonibus hauriatur, vel ventriculo recipiatur, ſed ſi lycoperdon majorem ſumptum per medium ſcindatis, tum pro ſedanda hæmorrhagia dat pulverem optimum.

Tubera.

Hæc planta eſt Radix vel maſſa quædam corpoſa nucis craſſitie, obrotunda, gibba, ſcabra, externe coloris fuſci aut obſcuri, internè in marmoris modum varii coloris, albeſcentis, in terra ſemper reconditur, nullam plantam extra terram emittens, creſcit in regio-

gionibus calidis, in locis siccis & arenosis, in initio est tantum magnitudinis pisi, sed tractu temporis adeo fit magna ut aliquando unam libram ponderis exsuperaverit, quando est matura, tum in ejus epidermide inveniuntur quædam puncta obscura, quæ forte ejus sunt semina, hæc planta valde à porcis amatur, omnium optimæ sunt mediocriter magnæ, duræ, benè nutritæ, valde odoratæ, saporis subdulcis; Hæc tubera à multis amantur imprimis Gallis, semen excitant.

Lichen.

Hæc planta est species musci, quæ in Quercuum truncis crescit, aliquando in lapidibus muscosis; hepaticam refert, sed est multo major, folia ejus sunt aspera, sicca, dura, coloris cineritii, multis punctis lanuginosis instructa, in parte inferiori, ubi arbori adhærescit, sunt alba. Lichen vocatur, quia dicitur omnes morbos cutaneos, qui lichenes vocantur sanare.

Dicitur planta simile corpus semper determinatâ figurâ constans, sed tamen est coriaceum, habet infinitas scotulas, in quibus semen latet.

4. Hæc pro specie pulmonaria arboreâ usurpatur.

Omnes hæ plantæ habent vim calefacientem, roborantem & paulo adstringentem; hinc ubi roborantia requiruntur, hæc dantur, in hæmorrhagiis conveniunt; dicitur esse optimum remedium in asthmate & tussi inveterata.

Coralloides.

Planta terreſtris, quæ concreſcit coralliis ſimilis ob fragilitatem, ſed tamen ad lignoſum corpus accedit, omnes dicuntur Coralloides, quia referunt Corallia, creſcunt in montibus maritimis. Virtus medicamentorum uti in lichene.

Lenticula.

Hæc eſt planta minima aquatica, folia Lentis, rotunda, tenera, tenuia, fibris minimis adhærentia, facilè motu aquæ à ſe invicem ſeparabilia, natantia in ſuperficie aquæ; Lenticula dicitur, quia ejus folia lentem referunt. Eſt planta humectans, refrigerans; externè in ſcabie conducit.

Muſcus.

Caulis longus, repens, habens multos ramos, qui ſe in alios ſurculos maximè dividunt, & multis foliis aſperis, & anguſtis inſtructi ſunt, ex ramis oritur pedunculus longus tenuis, ferè nudus, referens in ſummitate duplex clava, mollis, flava, quæ attacta reddit pulverem ſubtilem flavum. Radix fibroſa, longa, & craſſa. Hæc planta creſcit in locis arenoſis, maritimis & ſylvis. Conducit hæc planta in ſcorbuto ad gingivas depurandas, in Diarrhæa, calculum ſolvit & urinam excitat, pulvis ex clava ortus prodeſt Epilepticis.

Sunt multi aquoſi & lapidoſi, & quoque in cra-

cranium humanum crescunt. Notabo modum quomodo hæ plantæ crescunt, habent calip-tra, quæ per maturitatem operiuntur, & pulvus exit & seminatur. Sunt omnes ejusdem naturæ lichenibus accedentis, ut si in aqua decoquantur, pectori sunt summa remedia.

Hic hanc methodum servavi, ut omnes plantas juxta numeros posuerim, qui respondent N. 15. qui in Indice habentur. Si verò planta deërit, locus vacuus relicturus erit, si novam accipiam, tum apponam ad finem unius cujusque speciei, in demonstrationibus nil nisi Characterem & virtutes explicabo. Plantis omnibus officinalibus lineolam sudduxi.

Plantæ capillares.

Dicitur & Trychoeides & Polytricha, quæ nempe Radices habent ex multis filamentis & scirrhis dependentibus compositæ.

Caulis id est collectio radicum in unum corpus ut ante dixi.

Flore. Vaillant docet, quod planta parte masculina & fæminina constat, hæ verò plantæ habent organa fæminina, sed organum masculinum seu stamen non habetur, quoad visibile est, sed procul dubio etiam adsit; flos verò fæmina hic facta est in ipsis foliis vel foliorum appendicibus, ubi inveniuntur tubercula rugosa, quæ se expandunt, si semen maturescere incipiat, & tandem prima pellicula sub qua hæret, rumpitur, si porro maturescat, & altera pellicula rumpatur, semen instar fumi exit, quod in his pelliculis hæret quasi in pi-

 xide,

xide, ſemen vero non viſibile eſt niſi bono microſcopio.

Epiphyllospermæ ab ἐπὶ & φύλλον folium & σπέρμα ſemen id eſt planta, quæ in foliis ſemina gerunt.

Lingua Cervina.

Hæc planta germinat ex Radice ſua octo vel decem folia longa, acuta, ſatis rigida, polita, viridia, ſplendentia, adoris Capillorum Veneris, non ingrati, ſaporis paulo adſtringentis; caulis cui folia adhærent, ea in medio pervadit, Radix eſt fibroſa & nigricans.

Seu Phyllitis character totus, qui de Capillaribus datus huc referendus eſt, nam charcéter qui de omnibus dedi, ſemper in ſingulis ſpeciebus habetur.

Capſulæ folium hic eſt ſimplici ſtructura verum in parte folio averſa in linea parallela habenter capſulæ ſeminales; in illa linea ſunt pixides, quæ ambiuntur membranâ duplici exteriori ruptâ, pixis adhuc clauſa manet, ſed maturus aperitur & ſemen exit, & erit forſan hic eadem ſtructura, ut in ficubus, ubi flos etiam non apparet, ſed in ſuperiori parte eſt apertura, in qua procul dubio flos hærebit, ſed nequidem per microscopia bona conſpicua; creſcit in locis arenoſis humidis, eſt planta adſtringens, vulneraria, aperiens, & pectoralis, conducit in morbis pectoris & pulmonum. Dicitur *lingua cervina*, quia folia hujus plantæ cervi linguam referunt.

A *Dioſcoride* Phyllitis fuit dicta planta à φύλλον, *folium* quia tota ex foliis conſtat, habetur pro eadem planta ac veterum Hemionitis, quæ à Cervo

Cervo amatur, hinc vulgò dicitur lingua Cervina. Hæc planta ad gustum habet saporem saponaceum subaromaticum, simulque adstringentem, hinc ejus succus maximè resolvit & aperit; hinc etiam dicitur splenicus & asplenius, quia splenis obstructiones resolvit.

1. De illa Dioscorides dicit, si cum vino coquatur esse contra venena & morbum rabidi canis, ut & viscerum obstructiones; hæ omnes plantæ austeræ dantur in laxis rachiticis corporibusque scorbuticis.

Hemionitis.

Hæc planta Linguam cervinam refert, crescit in sylvis, & locis humidis, viridem suam colorem toto anno habens, dicitur *Hemionitis* ab ἡμίονος *mula* quasi mularia, quia hæc planta æquè sterilis esse quam mula credebatur. Est planta adstringens, vulneraria, pectoralis, conducit in morbis splenicis, & in sputo sanguineo, præsertim si ejus folia in aqua cum capillis veneris decoquantur, ex foliis siccatis etiam pulvis conficitur.

Polypodium.

Hæc planta à præcedentibus differt, quod primò folia sunt magis composita & secundò, quod utriculi seminales sint in pinnulis, sed eadem est pixis seminalis. πολὺς *multus* & πȣ̃ς pes, quod significat *multos pedes habens*. Hoc plantæ genus se irradicat cuicunque parti, quæ apprehendere potest, vel sit saxum vel terra vel arbor idem est, imprimis tamen in arbore Quercina; hinc dicitur teres, quod idem est ac ala avis,

avis, quia alas refert. Hæc in medicina recipitur imprimis, si creverit in quercu. In bile atra purganda valet, coquatur fortiter cum aqua vel vino & lenissimè purgat, optimum est remedium in omnibus obstructionibus ut in asthmate, in obstructionibus lienis & mesenterii, scorbuto, malo hypochondriaco, melancholia scrophulis & in præscriptis non sine fructu ingreditur. Dosis verò ad summum est uncia una vel uncia una & dimidia, si verò indicatio est leviter aperire, tum tantum datur ad dragmam unam vel duas. Ingreditur hæc planta in plurimis compositionibus.

3. Ab Homine attingi non potest, quin folium attactum collabatur, tamen à pluviâ, ligno vel lapide eam attingente non læditur.

Asplenium seu scolopendria.

Folia Polypodii, sed minora, satis rotunda, versus latus incisa, lanuginosa, pulverem squammosum habentia, in quibus microscopii ope apparent capsulæ membranosæ se invicem incumbentes, singulæ instructæ funiculo rotundo, qui constrictione suâ hunc fructum in duas partes aperiens semina quædam minima fundit; Radix est fibrosa crescit hæc planta in locis saxosis, ut in muris præsertim in locis calidis. Dicitur *Asplenium* à *splen*, quia morbis splenium medetur, scolopendria, quia folia hujus plantæ figurâ suâ corpus & pedes animalis sic dicti refert. *Ceterach* est vox Arabica. Est planta aperiens pectoralis, & convenit in morbis pulmonum, lienis, in Ictero & urinæ retentione.

Lonā

Lonchitis.

Hæc planta nullos habet flores, folia ad dorsum sunt instructa seminibus rubicundis, tam minima ut sine microscopio distingui non possunt, figura ejus est ferri equini, hæc planta crescit in Regionibus calidis & in locis humidis. *Lonchitis* dicitur à λόγχη *lancea*, quia folia ejus sunt tam acuta, ut lanceam referant. Radix est aperiens & diuretica, hinc urinam movet. Est polypodium, cujus pinnæ sunt excavatæ.

Trichomanes.

Caules multi, rotundi, fragiles, minimi, nigricantes, quibus adhærent folia parva, obrotunda, tenera, aliquantulum crenata, in dorso habentia multa corpuscula minima, quæ microscopii ope apparent esse fructus hujus plantæ, in quibus inveniuntur multæ capsulæ sphæricæ, funiculo instructæ, qui contractione sua has capsulas semina includentes aperit. Radix filamentosa, & nigra: hæc planta crescit in petris & muris, tota hyeme est viridis. Dicitur etiam *polytrichon* à πολὺ *multum* & θρὶξ *capillus*, quasi *herba capillaria*, quia est una ex sex plantis, quæ *Capilli Veneris* dicuntur.

Hæ habent vesiculas seminales in parte folii aversa τρὶξ *capillum* & ὀριανες *rara* quasi *planta rara capillitia*, omnia eadem sunt ut in Polypodio, nisi quod non ita purgat, est aperiens & pectoralis, conducit in morbis lienum, & menstruis obstructis.

Adianthum.

Διαίνω madefacio διανθὸν modefactum & igne privatum, non quasi planè non madefieret, sed & utcunque; verum dicitur capilli veneris, sed rationem vix dicere possum, nisi quod referat Radicem quandam, quam meretrices imponere solebant. Dicitur & *filicula* a Filice, quasi parva Filix, quia folia hujus plantæ Filiculam referunt. Caulis durus, & niger, fortis, folia habent, quæ Filicem referunt, sed ampliora, longiora, minutim incisa, crenata, dura, subrotunda, conjugata, & cauli accrescentia. Radix crassa, fibrosa, subdulcis & adstringens, differt à priori, quod folia habeat majora & semina hinc indè dispersa, est planta aperiens pectoralis, conducit in morbis Renum, vesicæ & lienis uti & Tussi inveterata & exspectorationem promovendo.

Ruta Muraria.

Caulis minimus, rotundus, habens folia minima, in margine incisa, referentia Rutam aut Adianthum sed minora, fructus crescunt sub foliis, sunt capsulæ sphæricæ funiculo instructæ, qui funiculus contractione suâ has capsulas aperit, quæ capsulæ tum fundunt semina obrotunda. Radix nigra & fibrosa, vocatur *Ruta Muraria*, quia Rutam refert, & in muris crescit, dicitur etiam *salvia vitæ*, quia in vita conservanda conducit.

Hæc est planta, quæ à Principe Botanicorum habetur *pro Hyssopo Salomonis*, hæc in muris crescit in Regionibus calidis, & vim incre-

dibilem

dibilem habet ad morbos pectoris sanandos, ad gustum exhibet saporem olei amænissimum, & halitum relinquit amabilem. Contrita cum aqua calida sine ebullitione addito melle in asthmate & cæteris pectoris morbis commendatur; urinam movet, calculum expellit, in Phtysi & Pleuritide convenit.

Filix.

Character. Ex Radice erumpunt folia ampla, magna, aspera, friabilia, dura, viridia, odoris fortis & grati, longa, in alas extensa, habentia multa alia folia vel in margine incisa, nullos habent flores apparentes, sed pulvisculum fuscum, & rubicundum, qui pulvisculus sunt semina plantæ juxta sententiam *Cæsalpini*, quia observavit, quod in terrâ ubi ejus folia fuerunt dejecta, statim postea similis planta crevit, *Tournefortius* microscopii ope observavit, quod hujus plantæ folia in pinnis gerunt capsulas ovales, funiculo instructas, qui funiculus suâ contractione has vesiculas aperiens fundit semina parva. Radix felicis maris est carnosa, crassa, fibrosa, & nigra; hæc planta nullum caulem habet, crescit in montibus. Dividuntur in ramosas & non ramosas, folia sunt pinnata ad nervum usque posita non ut in Polypodio, sed caulem ferè relinquentia.

Vires. Hæc planta imprimis N°. 1. 2. 3. continet nobilissimum medicamentum contra Rachitidem & tollit omnes morbos à laxitate ortos; mas Filix hic optimus est, Radix per medium fissa præbet quasi aquilam, quod sunt rudimenta futuræ plantæ. Si herba aquæ in-

fuus

fundatur, tum optima est contra scorbutum, hæmorrhoides & menstrua. Filix fæmina est ramosa, quæ radix immaniter nempe repit, & tandem expanditur, vis est eadem; nempe roborans & aperiens contra Phrenitidem, Scorbutum; est planta aperiens, conducit in Hydrope, urinam movet, prodest in morbis lienis; folia in aqua decocta conducunt in morbis pectoris, aqua destillata ex hac planta est specificum remèdium contra lumbricos; ejus folia siccata in umbra sunt optima in infantibus] Rachiticis, Rustici inde faciunt lectulos & pulvinaria quibus infantes semper incumbunt.

Osmunda.

Character. Caulis viridis, ramosus, se in latum extendens; folia ampla, satis angusta, semper paria, in uno latere per unum folium terminata, summitas caulis se in multos ramos dividit, qui singuli rami sustinent multos racemos, minimos fructus habentes, quorum fructuum structura nisi microscopii ope videri non potest, singuli racemi habent capsulas membranaceas sphæricas, quæ in duas partes apertæ fundunt semina quædam oblonga; hæc planta nullos gerit flores, Radix est nigra, & longa; crescit in locis aquosis, & humidis, est planta aperiens, detergens, aliquantulum adstringens, incidens, & vulneraria, conducit in Hydrope, Colica Nephritica, Vermibus, Ulceribus, Vulneribus, Chlorosi, Calculo, morbis lienum, Herniis & in sanguine grumoso resolvendo. Syrupus & conserva ex hac plantâ sunt optima.

Ophio-

Ophioglossum.

Character. Folia Betæ minimæ, sed crassiora, recta, polita, carnosa, sæpe angusta, & longa, aliquando ampla & rotunda, saporis viscosi & dulcis, ex alis caulis erumpit fructus figurâ linguæ compressæ, in multas cellulas divisus, quæ cellulæ includunt pulvisculum minimum, Radix fibrosa, crescit in pratis & locis humidis.

Nomen *Ophioglossum* ab ὄφις serpens, & γλῶσσα lingua id est lingua serpentis, quia hujus plantæ fructus serpentis linguam refert. Est planta vulneraria, consolidans, & resolvens, conducit in vulneribus inflammatis & Hæmorrhagiis. *Cæsalpinus* unguentum ex hac planta compositum in Herniis infantum commendat. De hac multa mirabilia prædicantur, dicunt hominem ope hujus à Dæmonibus esse liberum, nec etiam veneno infici posse, sed tamen hoc modò nugas esse & nil veritatis habere credo, unum emittunt folium, quod foliis sequentibus simillimum, quoad figuram. Hæ ergo plantæ Dycotylidones 1. ex semine è terra emittunt, 2. folia anomala dicta, quæ ex cotylidone nascuntur, & tum hæc folia præparant succum nutrititium pro planta, & pro pulmone plantæ primò inserviunt, sed postea pereunt.

De Plantis magis perfectis.

Perfectæ dicuntur plantæ, quia essentiales partes habent, nam primò semen terræ committitur, 2. foliis distinctis planta prodit.

Dico-

Dicotyledon dicitur planta, quæ duos utriculos, in quibus fætum gerit, habet, ſemen verò eſt nova planta, ſi habeat in ſe novam plantam, nam totum ſemen non eſt nova planta ut *Glauberus* bene diſtinxit, hinc indiget, ut Embrio ſervetur à machina quadam, multi verò etiam habent unum utriculum, quod dicitur monocotylidonum, habetur etiam una planta, quæ eſt polycotyledon, *hoc eſt plures utriculos habens*, monocotyledones unum multa quaſi ſemina nuda habentes, quæ collecta ſunt in unâ machinâ. Hic ſemina vel ſe nuda oſtendunt, ut in gymnopolyspermæ vel in thecâ gerunt, & ſic à ſemine diſtinguuntur; hæc dicitur, euangiospermia ab ἀγγεῖον *vas* & ἐν *in* id *eſt quaſi in vaſe ſemen gerentes.*

Dividuntur ergo plantæ in flore perfecto & minus perfecto, vel ſemine nudo, vel gerentes intra vaſculum; quæ unum ſemen habent, dicuntur gymnoſpermæ, quæ duo ſemina dicuntur diſpermæ, rarò ergo inveniuntur tria ſemina, ſed quæ quatuor ſemina gerunt, dicuntur gumnotetraspermæ, & hic ab gymnopolyspermis incepi, quia à ſimpliciſſimis exordiendum eſſe credidi, & in hoc ob affinitatem & convenientiam in hac lege vel methodo non peccaſſe puto, nam hæ maximè ad umbelliferas accedunt. γύμνος *nudus* ſignificat & πολὺς *multum* σπέρμα *ſemen* hinc dicitur planta, quæ poſt ſingulum unicum florem plurima nuda fert ſemina, ut in ſequentibus videre eſt. Flos roſaceus Polypetalos, cujus floris piſtillum fit fructus ex pluribus ſeminibus uni axi affixis conſtans, & hoc in genere verum eſt, exceptis quibusdam Thalictris. Flos roſaceus polypetalos dicitur, quia ex petalis in or-

orbem poſitis pluribus ſingulis ſeparatis conſtat, adeoque formam roſæ exhibet.

Polypetalos dicitur quando petala ſunt plura, aliter monopetali, depetali, tripetali; Piſtillum floris eſt id medium, quod ex flore exſurgens facit axin, cui undequaque adhæreſcunt ſemina poſt ſingulos flores.

Chelidonium minus.

Character. Habet calicem triphillum admodum fugacem, & ante petala caducum, florem polypetalum, roſaceum; ſemina in capitellum rotundum congeſta; folia inſtar cochlearis rotunda, radicem plurimis adnatis nodulis, nodoſum, hinc ſcrophularia minor dicitur, creſcit ad ripas foſſaſve.

Nomen. Chelidonii videtur derivari poſſe ex χελιδὼν *hirundo*, de hac planta finxerunt Poetæ, quod nomen ſuum accipiat ab uſu, quo hirundinibus ſecundum eorum fabulas inſervit, ajunt enim, quod hirundines ſuorum pullorum, qui cæci in lucem edunt, oculis folia chelidonii applicant, & aperiant, cum tamen ex hiſtoria naturali conſtat, quod omnium avium pulli cum primò utero excluduntur oculos tenui quaſi membranâ occluſos habeant, quod in fætu humano etiam aliquatenus; non quod oculi membranâ quadam obducuntur, ſed quod humores non ſatis clari & pellucidi, ſed turbidi adhuc ſunt, obtinere videtur, qui plures de chelidonio fabulas exoptat, *Plinium juniorem* in hiſtoriâ ſuâ naturali adeat; nomen confirmat *Clariſſimus Rapinus in Hortorum libris quatuor* dicens.

Tuque Chelidonium, cum nunciaveris hirundo
Stagna supervolitavit, avis de nomine dictum
Ad primos veris Zephyros florere parabis.

Vocatur *scrophularia*, quia ejus Radix scrophulos refert, non quia scrophulis medetur, Ranunculus rotundi foliis minor dicitur à *Tournefortio*, quia calicem habet triphillum ac ranunculus, at pentaphyllum ab eo differt, *Morison* pariter vocavit ranunculum, vocatur etiam *hæmorrhoidalis herba* quia ejus Radix habet figuram hæmorrhoidis hominum; hincherbam hæmorrhoidalem vocaverunt Auctores.

Vires in medicina sunt, quod planta sit ardentissima, urentissima, & acerrima detergens saponacea *teste Dioscoride*, hic verò loci non habet illam vim, sed parum calefacientis virtutis, potest etiam fieri ut una eademque planta in alio loco calidiore sit acris, aliove frigidiore minus, habita est pro summo arcano in hæmorrhoidibus, radiculas colligendo antequam folia decidant, tumque sunt succulentissimæ, has decoctas vel herbam contusam & cum farinâ comistam extra applicant, ego cum ægrum haberem atrabiliarium & simul hæmorrhoidibus laborantem pluribus frustra tentatis, decocto hujus radicis singulis diebus ad uncias duas adhibito, mirum in modum curavi; tumores frigidos tollit, pituitam incidit, ac sanguinem depurat; contra scorbutum in decocto & succo vel in vino fermentato assumitur, hæc planta est aperiens, humectans, dissipans, exsiccans resolvens; Infantibus quibus intestina in Hernia procubuerunt, prodest, quia vim

vim exſiccantem, & adſtringentem habet. Proſtat in officinis 1. aqua deſtillata, de qua multa prædicantur mirabilia, ſed tamen nullius eſt virtutis. 2. Syrupus ſeu Conſerva. NB. bulbili per trimeſtre ſpatium manent boni non diutius.

Hepatica Trifolia.

Caules ſunt nudi neque ramoſi, ſed hoc tamen in quarta ſpecie variat.

Perianthium ſuperflos eſt ex πὲρι *ſuper* & ανφέω *floreo. Pentapetalus* habens petala dicitur. Flos dicitur pars floralis, quæ colorata bracteos tenues habet, in medio poſſidet multa ſtamina, & in hac parte uterus facit plerumque capitulum rotundum, & unumquodque granum, quod in hoc capitulo continetur, eſt ſemen.

Character. Calicem habet triphyllum, plerumque calix poſt floris obitum diu remanet; flos reſaceus polypetalus perfectus; ſemen in capitellum rotundum congeſtum, folium trilobatum; Radix fibroſa; Caulis erectus nudus vel in planta nullus, niſi floriferus, piſtillum floris fit fructus, hæc planta videtur veteribus incognita fuiſſe, ſed primò paulo ante Chriſtum inventa eſt, hæc primum ver denunciat, & brumam fere adhuc ornat.

Nomen generale Hepatica eſt à figurâ, quoniam inſtar hepatis in lobos diviſa ſunt folia, non verò ab uſu nomen accepit, nam nequaquam in hepatis morbis, ut multi perperam ſcripſerunt, in uſum vocari poteſt; *Trifolium* à ſimilitudine vocatur, *Trinitatis plebem* vocat *Matthiolus.*

Vires. *Johannes Bauhinus* multis experimentis sibi constare, inquit, quod folia idoneo tempore carpta, ad umbram siccata, infusa cum aquâ calidâ, & instar Thée assumpta addita pauco melle leniter ventriculum corroborent, & moderatè adstringant, itaque in omni morbo convenire, ubi nimis laxa sunt adstringenda; hinc in potibus vulnerariis, quibus Diabetes adest, vel in sputo cruento vel in mictu sanguinis, in Herniis laudatur, in Dysenteria folia pulverizata cum syrupo granatorum & Myrthini egregia sunt; unde & in Gonorrhæa inveterata præcipuè si à nimia organorum laxitate orta sit, egregios sanè præstat usus. In officinis folia asservantur exsiccata, quæ meliora fiunt recentibus, quia aquosum omne tum abiit. Hæc planta ingreditur in compositione syrupi cichorei, folia ejus decocta conducunt in Ictero, ut in scabie & ulceribus fætidis, prodest in angina forma gargarismatis, aqua ex foliis destillata est optima in morbis cutaneis, tota planta convenit in obstructionibus Renum vesicæ & Hepatis. Primo vere ad magnum hortorum ornamentum adsunt.

Ranunculus.

Character calix pentaphyllus herbacei coloris ante florem perfectionem plerumque fugax. Flos perfectè rosaceus, pentapetalus seu polypetalus, semen plurimum in unum capitulum artificiosè congestum, quod propter semina accreta rotundum & oblongum est; Radix hoc nonnunquam fibrosa vel granulosa & digitata, nunc tuberosa, nunc tergulosa, aliquan-

quando planè intorta, foliatura lata vel angusta, secta vel minus secta; hinc nil characteris dat, folia quoque varia sunt sed habet calicem pentaphyllum, & stamina innumerabilia, quæ circum crescunt capiti frugifero exceptis nonnullis. *Nomen.* Hinc alii aliter vocarunt, qui ex radice vel fructu vel foliis desumpserunt nomen, & hinc adhuc dicitur *pes Galli* belgicè *Haan-voet* à foliis nonnullorum antiquum verò nomen est; hinc *Rapinus.*

Nascor ubi Ranarum stabula versor in undis.

Sic dicitur, quia hæ species à Veteribus cognitæ in paludibus nascebantur, hinc à *Banisteri* dicitur *Rana. à Dioscoride* dicitur *solinum Hydatoides* id est *apium palustre.* Vocatur & *Ranuncularia*, quoniam diversa ejus species tantummodo in locis, ubi rana reperiuntur, quæri solent nonnulli etiam inter quos & *Rapinus*, qui in horto suo carminibus hæc non eleganter descripsit, legendus est; nomen hujus plantæ à fabula deduxerunt, memorantur enim quod in africa olim erat ingeniosissimus & formosissimus quidam puer Ranunculus dictus, qui amænissimo suo cantu omnes ferè africæ nymphas incendebat, donec tandem ille sui ipsius cantu in amorem incidisset, nullumque sui amoris objectum haberet, miserrimè emarcuit, & huicce plantæ nomen dedit. Hinc *Rapinus in Hortorum libris quatuor canit.*

Tu quoque mulcendis blando qui carmine nymphis
Litore clarus eras quondam Ranuncule Mauro
Per virides campos, te versicolore paratu.
Ostentas, tacitoque animum pallore fateris.

Nam puer arcano mentem labefactatus amore,
Quos dederat nymphis, cantando acceperat ignes.

Hæc planta duplicem ob caufam amatur primò ob vim medicatam, fecundo ob florum pulchritudinem.

Vires medicæ funt vel bonæ vel malæ, 1. 2. 6. 13. 16. imprimis in officinis habentur & commendantur, fi contufæ recentes maximè Radices vel bulbuli applicantur cuti, excitent dolorem, rubedinem, inflammationem, gangrænam, humoresque acerrimos; ergo habent vim Efcharoticam cauftícam, curant morbos, in quibus concutiendum eft genus nervofum, ut in offium doloribus, Epilepfia, convulfionibus, fpafmis, hifterica paffione, doloribus fixis perioftei, Podagra, ulceribus antiquis, doloribus Ifchiaticis, agunt exulcerando & in cruftas exurendo cutim fub panniculo adipofo fubjectam, & fi in locis apertis relinquatur excitant fiftulas, & vulgare eft experimentum inter milites & rufticos, qui radices 1. 2. 3. albas colligunt, lavant, contundunt, & plantis pedum fupponunt. Vel inter digitos applicant, hocque modo curant febres intermittentes bono cum fucceffu, fi verò fint nimis acres exurunt fimul cutim.

11. Pluribus dicitur *fcelerata herba, ut Apulejo*, quia mendici hujus plantæ Radices & bulbillos contundentes fuorum infantum corporibus, ut homines eorum commiferati majorem ftipem ipfis darent, imponunt, unde ftatim fætidiffima ulcera inftar lepræ oriri folent; fi herba in nares intrudatur, indommabilem fternutationem caufant. Hinc fi verrucis affricentur, eradicantur, fic veteres in lepra ufi funt

foliis

foliis Ranunculi ita ut his impositis lepra exedebatur. Interne Ranunculi sunt venenati; tamen externè prosunt in scabie, & infantum porrigine.

16. Dicitur à nonnullis Apium Risus, hinc *Guilandinus* in Botanicis eruditissimus vir putavit hanc esse Apiastrum *Plinii*, hanc esse, quæ à *Dioscoride Sardonia* dicitur, hæc habet acrimoniam lentam, ut quasi fulmine citius linguam inflammet, & gangrænescere faciat, si linguæ imponatur, hinc dicit *Lobelius*, si boves primum in pascua venientes nimis avidè iis herbis indulserint, tum rumpuntur Ilea & simul gangrænescunt intestina & ventriculus, & hinc Diaphragma quoque à ventriculo inficitur, unde oritur inde convulsio, hinc oris distorsio & risus Sardonicus, quia videntur ridere, sed tamen ridendo moriuntur sic quidam dixit Poëta.

Hinc ego sardois videor tibi amarior herba
Horridior rusco, projecta vilior alga.

Dicitur ex Sardonia primò allata ibique crescere, Asiaticæ dicuntur primo natæ in asia, quæ plantæ sunt elegantissimæ, & vidi picturas horum multo elegantiores ac hic habentur; sed magna cura est adhibenda, aliter degenerant hic loci, hæ ratione pulchritudinis satis laudari non possunt; vocatur etiam *Herba strumea* quia strumas seu tumores scrophulolos resolvit & discutit, *Pes Corvinus*, dicitur quia folia alicujus ranunculi pedes Corvini refert; *Ranunculus* vocatur à Rana, quia in locis humidis crescit.

Adonis.

Character. Caulis rotundus, villoſus, intus excavatus, & in multos ramos diviſus; folia Chamæmeli, ſaporis acris, coloris viridis; flores in ſummitate ramorum creſcentes, & multa folia rubra habentes, qui flores ſuſtinentur à pedunculo ſatis longo; Radix minima, alba, ſimplex, ſaporis ingrati & herbacei. Creſcit in pratis.

Nomen erat *hemos* id eſt *flos amoris*, Ranunculus foliis chamæmeli tenuiſſimis diviſis, Helleborus *Bauhini* flos & Radix videntur convenire ſed fructus differt, qui eſt tuberculum axi affixum; ſemina ſunt inſtar Ranunculi, nomen habet à *voce Hebraica*, *adon* ſignificat Dominum, unde Hiſpani adhuc pro domino dicunt Don; Adonis fuit amaſion veneris, qui ab apro fuit occiſus, & ſic ex ejus ſanguine hic flos natus eſſe dicitur, hinc habitum fuit pro Adoni Veterum Poëtarum; ſed tamen adhuc diſputatur, quia Anemone flos gratior eſt; & magis conveniens veterum deſcriptioni in *Rapini Hortorum libri quatuor*, *ubi elegans ejus habetur deſcriptio dixit.*

Et Venerem fert fama, ſuum dum plorat Adonin,
Fulmineis torvi perfoſſum dentibus apri,
Illo præcipuum ſolatam flore dolorem.
Nam poſtquam fuſo, quod erat mortale, cruori
Eripuit, ſacroque aſperſit denique ſucco:
Haud mora purpureo natus de ſanguine flos eſt
Purpureus, Veneri ereptum, qui penſet adonim.

Dicitur & *Eranthemum* ab ἔρευθος *rubor* &

ἄνθ

ἄνθος *flos* quia hujus plantæ flos eſt ruber alii dixerunt *oculum Diaboli*, quia *Michael Angelus* ita Diabolum pinxit, & quia flos ſanguineus, ab alio dicitur *Dea Venus*. Ejus Radix ab Helleboro etiam non multum differt, hinc à multis habetur pro Helleboro *Hippocratis*, eſt tamen nimia differentia inter Helleborum & hanc plantam, ſed tamen pro certo ſcire non poſſumus, cum nondum clarè pateat, quid fuerit Helleborus *Hippocratis*, videmus quanta ſit incertitudo cognoſcendi plantas veteribus cognitas.

Vires. *Conradus Geſnerus*, inquit, ſemen cum vino albo contuſum potatur ad unciam unam & valet ad calculum frangendum & expellendum, quod non eſt incredibile, quia ſtimulum aliquem habet, in hortis colitur ad nectendas coronas; cæterum 1. 2. & 4. ſunt acerrimè exurentes, ſi corpori nudo applicentur, & eadem eſt virtus ac de Ranunculis dictum eſt.

Anemonoides.

Differt à Ranunculo flore majore duobus foliis caulem coronantibus, ab Anemone non ſecernitur character, niſi quod altera ſemina interjecta lanugine habet, *Moriſonus* & *Hermannus* reduxere ad Ranunculos, quod nomen & locus hic quoque convenit, ſi ad fructum ſpectemus, alii ad Anemones jure retulerunt, ſi ad florem ſpectemus, hinc nos potius anemonoides diximus cum *Hottone*, quaſi Anemone faciem ferens; Dicitur *herba venti*, quia à vento diſſipatur, cum caput matureſcit, *nemoroſa* etiam vocatur, quia incredibili fertili-

tate ſub arboribus in ſylvis creſcunt, primo tempore verno florent, & flos menſe majo perit, uſus nullos habet, ſunt enim acerrimæ illæ plantæ, & inſerviunt hortorum ornamentis.

Anemone.

Anemone id eſt *herba venti*, quia ejus fructus copioſam habet lanuginem, quæ facilè difflatur, videtur eſſe flos Adonis veterum maximo cum fundamento. Et *Ovidius in metamorph.* dicit,

Flos tunc Adonis eſt ſanguine concolor ortus
Qualem quæ lento colant ſub cortice granum,
Punica ferre ſolent, brevis eſt tamen uſus in illo
Namque mala hærentem & nimia cavitate caducum:
Excutiunt idem, qui præſtant nomina venti.

Rapinus in Hortorum libris quatuor canit.

At quis te, quis divûm autem, tam numine duro,
Hortorum decus, & formoſi gloria ruris,
Perque nives medias, & acerbi incommoda cæli,
Expoſuit teneram rigidis Anemona procellis?
Tempore digna alio, & cæli melioribus auris
Namque colorato cum primum murice blandum
Exeritos, lucique comam diffundis apricæ
Et picturatos non uno errore colorum
Oſtendis diverſa ſinus, flammasque comantes,
Spectantium meritos in te convertes amores:
Et nullus florum numero tibi certet ab omni,

Aus

Aut sic crispari, aut totidem ostentare colore,
Ipsaque, quam radio, per vellera texta sonanti
Sidoniæ ducunt matres, tibi purpura cedat.
Hanc Flora, ut perhibent, stimulis agitata malignis
Invidiæ, cælo immeritam damnavit iniquo.
Illa, ut erat Graias inter celeberrima nymphas,
Forma excellebat: sed abest quoque forma puellis;
Obfuit huic certè, nam dum fortasse per agros,
Libertatis amans, frigus captarat & auras,
Impleretque sinum ventis, non æmula nympham
Flora tulit Zephym conjux, studioque mariti
Exarsit: divæ numen mox sensim acerbæ
Infelix Anemona, suos quæ clara per agros,
Servasset formam, si non formosa fuisset
Quæque fuit patrias inter pulcherrima nymphas
Nunc flores inter flos est pulcherrimus omnes.

In medicina ob acredinem nullus est usus, nisi forsan in Escharoticis, sed maximè inserviunt pro hortorum ornamento, ejus folia contusa conducunt in vulneribus & ulceribus equorum.

Pulsatilla.

Nomen abjectum, quia semina nata à minimo vento per aërem volitant, hincque pulsatilla ab Italis dicta dicitur oculis lacrymas excutere hominibus Radicem edentibus, ut fit à cæpa; in Pæonia pro calefaciente medicamento utitur, sed certè est nimis acris, hinc usus tantum pro hortorum ornamento.

Quinquefolium.

Character. Radix fibrosa, folia dissecta ex quinque tum septem segmentis ad unitum centrum unitis constantia, flos pentapetalos, tetrapetalos, ut in Tormentilla, rosaceus; Calix octophyllos, hæmisphæricus, cujus axi plurima adnascunt semina, ut in fragis, dividi possunt quinquefolia in rugosa & nimis rugosa, nomen pentaphyllum imprimis debetur speciei sextæ humiliori, cæteroquin potius septaphyllum dicendum est, quoniam in majoribus speciebus sunt septem segmenta foliorum coagmentata.

Nomen, *Quinquefolium* dicitur à *quinque* & *folium*, quia hæc planta quinque folia gerit in uno caule. Vocatur *Pentaphyllum* à πέντε *quinque* & φύλλον *folium*, quasi *planta quinque folia habens.*

Vires Medicæ huic insunt, & officinales sunt omnes à prima usque ad nonam, imprimis tamen secunda & octava. Visque inest refrigerans, admodum roborans cum facultate adstringendi, solet adhiberi in corporibus, ubi nimia vasorum est laxitas, ubi sanguis inspissandus, ubi vascula nimis tenuem exstillant liquorem, in in Hæmorrhagia adhibetur cocta cum vino rubro; vel radices instar potus Thée potantur in morbis mulierum, seu fluxu nimio Hæmorrhoidum optima est, si diu usurpetur. Octava dicitur *Tormentilla officinarum*, omnes si gustentur, acerbo suo sapore os constringunt, & faciunt linguam rigidiorem, ficciorem, quam antea, & hoc est id quod austerum adstringens vocamus; ergo vires horum

rum ſunt primò roborare fibras ſeu anguſtare & conſtringere fibras circulares, & ſic roborant, & puto vim adſtringentem, hinc modò obtinere, ſed non quod humores, ut aliter de adſtringentibus dicitur, magis ſpiſſos reddent, & omnis planta his viribus inſtructa dicitur adſtringens & roborans, ſi utraque qualitas adſit, ſeptima eſt Illa Tormentilla, ex qua *Tournefortius* & *Rajus* genus conſtituunt tetrapetali, quoniam talia repentia ſolent tantum quatuor habere folia. Tormentillæ nomen eſt inditum, quaſi ſiſteret tormenta in doloribus dentium leniendis jam à *Paracelſo* laudatum, ſic ſi decoquatur cum aceto additis Radicibus Pyretri, & dentes inde laventur, optimum eſt in vacillantibus roborandis, & à chirurgis uſurpari ſolet, Radix maximè eſt adſtringens, ſi ejus ſucco additur aliquantulum Camphoræ vel Opii dentium dolores certò curet, ſi à laxitate, nam roborat vaſa, & ſic dentes vacillantes firmos facit; Radix etiam cum vino decocta habetur ad ſiſtendum ſanguinem in mictu cruento, in caſtris equi, quando quidem poſt curſum ingentem ſanguinis quantitatem emittunt, illis tale decoctum datur, unde perfectè curantur; commendatur ergo contra Dyſenteriam, Diarrhæam, Diabetem, hæmorrhagiam, ſalivam nimiam, Herniam, nimios ſudores, & omnes morbos ubi vaſa laxa plusquam par eſt liquidum emittunt; tollit etiam anginam aquoſam à nimia laxitate ortam, ſi cum aceto pro gargariſmate coquetur. Ingreditur hæc Radix in Theriaca.

Pentaphylloides.

Character. Radix fibrosa, folia ad communem costam non ad centrum apposita, quod imprimis annotatur, hoc genus dispescit à priori, in eo folia conveniebant ad centrum, sed in hoc non, nam habet lobatim disposita, calix decaphyllos, ut plurimum flos naturaliter pentapetalos, fructus ex pistillo axin facit, cui apponuntur in sphæram semina, dein quoque fructus, qui foliis calicis tegitur;

Nomen. πέντε *quinque* & φύλλον *folium*, quasi *faciem quinquefolii referens* seu *quinquefolio similis*. Botanici sæpe sumpsere vocem εἶδος, quæ faciem, formam, & speciem notat; hinc est planta gerens speciem pentaphylli, quia flos fructus & calix conveniunt, sed folia saltem differunt, dicitur etiam *Anserina* & *Potentilla* à virtute, vocatur etiam *Argentina sylvestris rusticana* à colore (belgicè *silverschoon*) habet virtutem ut Quinquefolium.

Vires Medicæ. imprimis tertia laudatur, nomen Argentinæ & Potentillæ à potentia ingenti qua gaudet; hæc vires possidet amulas corticis Peruviani, si hæc herba contusa exprimatur, tumque ejus succus assumatur unâ horâ ante paroxysmum, febres intermittentes tollit per unam duasve doses, si febris sit bonæ indolis, uti Cortex Peruvianus; si malignitatis quid in febribus adesset, externè applicatur, si verò ulcus vel vulnus sanguinem stillet, instar cataplasmatis vix fallit: internè in omni morbo prodest ut in omnibus apertis liquidorum evacuationibus, ergo sanat Dysenteriam à liquidis ortam, extrinsecus ut Antiphlogisticum

con-

consideratur, siquis à nimiâ deambulatione pedes habeat inflammatos, subjungendo plantam sanatur, in infantibus, dum auriculæ caput oppressæ sordent, contusa folia cum pauxillo cerussæ applicata sanant, ex hac plantâ paratur conserva, quæ optimè conservatur ad usum, aqua verò destillata nullius est usus. Semina & Radix adstringunt; hinc Diarrhæam & Hæmorrhagiam curant. Hæc planta cum cancris fluviatilibus decocta est optimum remedium in fluxu albo, semina idem præstat in fluxu nimio menstruorum, in inflammatione vesicæ.

Fragaria.

Character. Hæc planta habet radices fibrosas & repentes, emittentes flagella per terram repentia, folia terna ad centrum conjuncta, rugosa, nervosa; calix decaphyllos, capitulum seminale pulpâ molli carnosâ constat, cui semina innascuntur; flos est rosaceus pentaphyllos citò caducus semper albus, hæc planta imprimis in montibus & locis arenosis crescit.

Nomen est à *frago*, *fragum à fraganti odore*, quia spirat aromaticum tamque suavem odorem, ut fragrantia in cubiculo clauso vix ferri queat; *morison* vocat *trifolium pentapetalon fructiferum*; belgicè vocatur fructus *ardbeyen.*

Vires. Tota planta officinalis est, hujus folia, caules, radices, & flagellæ in medicina recipiuntur habentes virtutem eandem ac de Quinquefolio diximus, & hæc fragaria dicitur seu fructus fragum; ejus Decoctum ut roborans & adstringens habetur, ut & fructus immaturus. Fructus habet vim emollientem, nu-

trientem, laxantem, refrigerantem, urinam cientem, cardiacum, aperientem, & mitificantem omne acre; hinc in febribus ardentissimis & ad primum calorem inflammationis, ubi sitis est ardentissima conveniunt, Fructus etiam commestus Gonorrhæam curat, in febribus talis potus inde potest confici optimus

℞ succi fragariæ
—— limon.
aquæ fontanæ ad partes æquales.
sacchari q. s. ad gratiam.
M.

Est egregium Remedium in omnibus morbis acutis; & optimè exstinguit sitim, dicitur *Frascade*. Pulpa tanquam Cataplasma in inflammationibus externis imposita maximè prodest, in utero à laxitate vasorum sæpius profuisse expertus sum. In tertianis quatanisve febribus instar Corticis Peruviani inservit, semina iterum aliam vim habent, & est Remedium litotripticon seu calculum solvens, sumatur nempe fructus fragæ maturæ & in aquâ positus conquassetur, tum semina ad fundum decidunt, hæc exsiccata ad dragmam unam vel duas dari possunt hauriendum mane jejuno stomacho ex vino albo, hoc est summum medicamentum pro iis à calculo sectione liberatis, ne recidivam patiantur, quod est remedium Lithotomis familiarissimum; omnia hæc collecta locis palludosis minorum sunt virium, sed magnitudinis majoris, quam montana *teste Gesnero* in observationibus. Unum tamen hic incommodum est, quod sub hac herbâ semper Bufones lateant; hincque multos mortuos esse

ſe homines teſtantur auctores, unde nonnulli edere nolunt, niſi ſint lavatæ; hinc Poëta de hac herba canit.

Frigidus O pueri latet Anguis in herbâ.

Pulpam hanc in Italia cum aquâ roſaceâ conterunt, & ſic cum ſucco citri condiunt eodem cum effectu ut prius dictum eſt; hic quoque verò arbores fraga ferentes habentur, ſed juxta *Virgilium* arbutum habent fraga quæ ſunt ejusdem virtutis; Arbutum verò eſt fragaria arbor. Aqua ex foliis deſtillatur, quæ tamen nullius eſt uſus, planta inſana eſt, quia præbet hoſpitium animalibus venenatis, iisque nutrimentum dat, uti Anguibus, Bufonibus, hinc non ſunt edenda fraga niſi lota. Externè prodeſt ad cutim detergendam.

Fragaria ſterilis.

Characterem planè cum priori eandem habet, niſi quod in hac flagella repentia abſint, fructus habet periantheum, è loco, quod naſcatur pulpoſus, & eſui inſerviens, fructus contra ſemen naſcitur ut in Quinquefolio; hinc quoque poteſt dici *Pentaphylloides Hermannus* ut & alii ſic vocarunt; ſed puto ob ſimilitudinem nomen fragariæ ſterilis retinendum. Vires eædem ſunt cum floribus, radicibus, foliis, fructibus immaturis prioribus, vel ut in Pentaphylloidibus id eſt adſtringentes.

Cariophyllata.

Character. Radix craſſior, oblonga, obrutun-

da

da ferè & fibrosa, folia lobata, id est quibus ad latera excrescunt alia folia prioribus majora, & ad Pentaphylloides accedunt; hinc *Rajus* aliique posuerunt ad agrimonoides ob harum similitudinem. Calix decaphyllus inæqualibus foliis, capitulum seminale rotundum constans multis seminibus in tubum congestis, quæ in apice cristam gerunt caudæ *Varonis* instar; in numero secundo semina sunt duplici colore uno coccineo, altero luteo, hinc hæc duplex species. In numero tertio videbitis vim proliferam nempe quod flos excutens ovarium prodit, & suo petalo procrescit, & dat iterum novum florem, & tum hoc dicitur flos proliferus, sed tamen hoc non fit, nisi calida adsit tempestas cum pluvia.

Nomen Caryophyllata est, quia Radix primo vere è terrâ educta & contusa fragrantem cariophyllatum odorem spirat, Italis *herba benedicta* à virtute ejus multiplici dicitur; etiam hoc nomen à radice habet, quia caræ sunt radices; de hoc nomine nil legimus apud veteres, Recentiores verò sic vocarunt, & non scio, an veteribus hæc planta fuit cognita; vocatur etiam *sana munda*, quasi totum mundum sanaret, vel mundaret.

Vires. Vis medica Aromatica est, Radix, hæc circa plenilunium effodatur, nam tum plantæ, ut & homines nonnulli in omnibus canalibus maximè turgent; hinc tum & Radices majorem habent vim medicatam; dein circa mensem Februarii carpantur, nam tum planta à somno hyemali ferè revivíscere incipit, & tum omnis succus colligitur in radice; radix sic carpta habet suavissimum Aromaticum & suavem gratúmque saporem, uno cum sa-

pore

pore habet acre, si verò æstate carpatur, tum radix lignea & nullas ferè vires habet; hinc medici decipi possunt à pharmacopæis, si non in tempore effoderint has radices; si verò justo tempore effossa saporem dictum habet, tum cardiacum corroborans & incitans est, qua vi omnes plantæ talem saporem habentes sunt præditæ; hinc convenit in fistulis ulceribus sinuosis purgandis, & ad promovendam cicatricem. Radix exsiccata, in pulverum redacta, & in aqua cocta sudores expellit, cum vino vel cerevisia infusa in debili laxo pituitosoque stomacho roborando optima est, hinc Chirurgi hanc in scabie in pollinem redactam admiscent Emplastris, unguentis, & fomentis ad roborandos gingivas, & dentes firmandos; radix in aquâ cocta & ore detenta oris scorbutum sanat, & in languore conveniet, ubi roborandum, excitandum & adstringendum, apud Germanos imprimis laudatur, quod ad Podagram curandam optimum sit Remedium, hinc etiam *Paracelsus*, qui alias chemicis indulsit, vinum caryophyllatum Podagricis commendavit, si nempe Podagra orta sit ab impletione nimiâ vini; hinc in laxitate vasorum hac plantâ numero quinto descriptâ id est radice inodorâ utebantur, in his mira vis est valde aromatica, & valde roborans, quod roborans sit, dictum est de Quinquefolio, aromatica ergo vis est acris & caustica, sed ne hæc vobis offendat, nam Cassia Zeilanensis seu Cinnamomum optimum est Aromaticum, quæ vis maxima in oleo hæret, quod tamen licet gustui sit amabile, corpus destruit, si in magnâ nimis copiâ assumatur. Conducit hæc planta in

Ca-

Catarrhis, & ſanguinem extravaſatum reſolvendo. & febribus intermittentibus.

Filipendula.

Character. Folia diviſa, ſupina &c. pinnata. Calix integer & jucundè fimbriatus. Flos roſaceus, hexapetalos, capitulum ſeminale rotundum in formam dolii adſcendens; Radix fibroſa, cui adnaſcuntur ſemina uncata.

Nomen habet à filis pendentibus, quia Radices quaſi fila repræſentant, ad quorum fines pendent noduli; hinc Filipendula, ex *Plinio*, nemo licet ſagaciſſimus aliquid in Botania addiſcere poteſt, ita ut ex *Dioſcoride* vix plantæ cognoſci poſſint, nam ille ſemper unam plantam cum aliâ conſideravit & modò comparavit. *Geſnerus* verò in deſcribenda plantarum virtute princeps eſt; hinc dolendum, quod fato mortuus ſit ab aſſumptione herbæ Doronici, quam *Matthiolus* eſſe ſaluberrimam dixerat, Itali verò aliique eſſe venenatam; hinc litem compoſiturus obiit.

Vires. Tabernæmontanus fidelis virium indagator, aliique omnes agnoſcunt, quod vis ſit aromatica & adſtringens; hinc in Epilepſiâ curandâ ſummum remedium, ſi nempe folia in umbrâ ſiccata ſumantur quotidiano uſu, ut & in potu hoc curat Epilepſiam, ſi à debilitate & laxitate oriatur, dein commendatur contra minorem Renum & veſicæ calculum, omnes in eo concordant, quod ſi tres vel quatuor dragmæ mane jejuno ſtomacho hauriantur, renes depurgant ab arenoſâ & mucoſâ materiâ. Hic verò folia legenda ſunt juſto tempore nempe menſe aprilis, quando verò flos

non-

nondum adest, sed ferè flores sunt pronascendi, nam folia faciunt succum pro floribus; hinc tum folia sic lecta circa plenilunium omnium maximè succo sunt plena, tum in umbra siccantur, ubi lenis ventus flat, usque dum primum gradum siccitatis habent, & tum inter chartas posita serventur in usum, infusa vel decocta in Ictero conveniunt; hæc vis primò hæret in radice, hic & ubique annotandum est, quod vires plantarum primas seu generales sunt præmittendæ nempe v: g. Filipendulæ imprimis radix est calefaciens, propellens, stimulans, & tandem ad vires accedentium nempe singulares, quæ vires facilè ex viribus primis plerumque intelliguntur, ut hic est vis singularis. Hæc planta conducit in colicâ flatulosâ, Hæmorrhoidibus, fluore albo, & Dysenteriâ, valde prodest in Nephritide ad materiam sabulosam eliminandam, præsertim si in vino albo infundatur.

Thalictrum.

Character. Radices habet in toto genere fibrosas demtis tredecim foliis lobatis, ut plurimum trifidæ & tripartitim digestæ, flores staminosi, & petala florum fugacia sunt, flos est nudus, nisi velitis petala facilè delabentia pro calice habere quinque priores species; semina nuda non habent; hinc non essent ad has plantus referendæ nisi ob similitudinem; sunt omnes tetrapetalæ usque ad duas ultimas, quæ sunt pentapetalæ. Fructus congestus in capitulum seminibus pluminosis plenum, quæ quasi circumpositam membranam habent; Thalictra sunt vel flore tetrapetalo vel pentapetalo, rursus

ſus ſunt ſemine folliculo inſtructo vel ſunt ſemine arctiori vel minori, quorum referenda ſunt Thalictra Auctores non inveniunt; vide *Raji methodum plantarum.* Thalictra flore tetrapetalo hæc in horto ſunt à numero primo uſque ad quartum incluſivè; Pentapetalo à numero quarto uſque ad duodecimum; tetrapetalo flore, ſemine minore, ſtriato à duodecimo uſque ad finem.

Nomen. Vox hæc antiqua & duplici modo in Codicibus invenitur, alii ſcribunt δαλὲγθρον, alii θαλὲχζρον, ſed jam à recentioribus omnibus nomen Thalictrum receptum eſt, à θάλλω *vireo* quaſi planta vireſcens, hinc in nuptiis adhiberi ſolet; vel etiam quia fronde viride exornent hortos, dicitur & Thalictrum ob ſimilitudinem κ'& η. vocatur πήγανον *id eſt Ruta*, quia nonnulli Botanici hanc plantam inter Rutam retulerunt.

Vires. Non memini ullum in medicina commendari niſi ſextum, cujus Radix, quæ valde magna eſt, ſi ſumatur ſuo tempore ut antea dixi foſſa, ad unciam unam vel duas purgat ut Rhabarbarum; hinc in Germania *Rhabarbarum pauperum* dicitur, quod ſucco ſuo præſtanti omnes corporis vias tranſit; hinc colorem & odorem urinæ conciliat, nam urina fit aurei coloris, ſic quoque fæces ſalivâ tinguntur, ita ut hæc planta ſit optimum aperiens, corroborans & inteſtina firmans eodem modo ut Rhabarbarum, ſed Doſis triplo major eſſe debet, dicitur vulgò bilem purgare. Succus ejus uti folia, flores conducunt in ſputo ſanguineo, fluore albo & aliis morbis mulierum, externè proſunt in ſcabie, omnibus cutaneis morbis vulneribus & ulceribus. Thalictra

tra quibusdam in locis in *Italia testante Camerario* utuntur contra pestem, in Saxonia contra Icterum. Flos Thalictri numeri decimi tertii est invisibilis, tamen si per microscopium conspiciatur, apparet tetrapetalus; hinc huc redacta est planta non ad formam sed fructum. sexta & nona dicitur accedere quoad virtutes, folia ejus externè applicata discutiunt & emolliunt.

Plantago Aquatica.

Character. Radix fibrosa, in aquosis se figens; tum folia integra, glabra, plantaginea; caulis instar umbelliferarum plantarum; Calix tripetalos, caducis, ut & flos rosaceus, capitulum seminale constat ex pluribus seminibus in unum capitulum congestis, in prima specie trigonum, in secunda rotundum.

Nomen. Plantago aquatica dicitur, quia folia referunt illa plantaginis terrestris. Multi putant esse *Damasonium veterum*, sed mihi videtur non convenire huic familiæ, quæ de *Damasonio* dicitur, sed hoc *Vaillantius* fecit, quia *Lobel* unam speciem Plantaginis sic vocat. *Tournefortius* hanc familiam ad ranunculos retulit, sed non video quare, nam folia differunt, flores sunt tetrapetali; hinc differentia est.

Vires. Gustus docet esse plantam acrem, sed Botanici plerumque dicunt esse plantam frigidam, ut & *Matthiolus* dicit, sed hoc vitium correctum est à *Gesnero Bauhino* aliisque & dixere hi viri esse plantam maximè calefacientem. Puto hoc factum, quia plantago est frigefaciens, hinc putarunt plantaginem aquaticam

cam talem vim habere. Ergo ineſt huic vis acris & penetrans, licet ab auctoribus aliter refrigerare & ſiccare dicitur, & ani procedentiam curare, uti & Podagram, Capitis Dolorem à calidâ cauſâ, morbos muliebres, cruenta ſputa, urinamque cruentam mederi, traditur ſummum & expertum eſſe ſecretum, quo ſubitò lac in mammis conſumatur, ut ait *Timach* ſi folia hujus herbæ contuſa illis applicentur.

Sagitta.

Character. Radix fibroſa in aquoſis locis creſcens, folia ad inſtar lanceæ ſagittarum, cuſpide prominente, & binis alis ad latera, flos tetrapetalos, caulis umbelliferus, capitulum ſeminale ut in ſpecie priori; naſcitur ſemper in aquis & invenietis in foſſis eodem modo ac plantago, ut & forma eadem, ſed ſi poſt menſem redeatis fit quaſi haſtæ cuſpis; hinc antiquum ejus nomen retinetur.

Nomen. Quia ejus folia ablatæ ſagittæ cuſpidem proximò referunt.

Vires. Similes inſunt ac Plantagini aquaticæ, odor guſtusque indicant, eſſe calefaciens; hanc ad Plantaginem aquaticam retulit *Tournefortius* uti & ad Ranunculos, qua re verâ commodè referri poſſunt.

Clematitis.

Character. Radix perennis, fibroſa, rubicunda; folia rugoſa, ramoſa, conjugata repontia, flexilia, craſſa ad alias arbuſculas adhærentia ampla, & quinque ſimul in uno latere

tere naſcentia, flos nudus tetrapetalos albus fructus conſtat paribus ſeminibus nudis in longum exeuntibus plumulum, quæ caudam Pavonis gerunt in apice ſupremo. Tota planta habet ſaporem acrem & igneum.

Nomen. A κλῆμα ſarmentum, quia flagellis vitigineorum æmulis arbores aſcendit, & quidquid ſit flagellum in fragaria dixi, quia per flagella ſe circumvolvit, hinc dicitur etiam *virgultum Ductile*, *Ranunculus obſequoſus*, vocatur itidem *antrogenomene* & *flammula*, quaſi *carbunculum producens*, nam folia trita cuti applicata urunt in carbunculos ut in peſte fit, flammula, quia ſi unum folium æſtivo tempore calida cum tempeſtate carptum & paulo ante contritum naribus admoveatur, odorem & dolorem inſtar flammæ conciliat.

Vires. Prima & ſecunda ſunt fortiter cauſtica & inſtar ignis urentia plus quam ipſe Ranunculus, nam pauco tempore applicatæ partem inflammant, bullulas eſcharamque creant, hinc ad curandos leproſos, ſi vitium in aliqua cutis parte hæſerit, eſt optima planta, & ſic in uſu eſt ad omnes nervorum morbos ſedandos, folia collecta æſtate & partibus podagricis applicata tollit hos dolores, ſed prudentia opus eſt, aliquando nimis profundè intrarent, ſi diutius hærerent, ſemina in vino contrita veteres volebant dari ad purgandum per ſuperiora & inferiora, habent enim vires Euphorbio æmulas, nulla planta aptior eſt ad viridaria conſtituenda, nam alitudine aſcendit; ad omnes ergo morbos, ubi cauſa hæret in nervi ligamentis, conveniunt, hinc per aliquamdiu ulcus apertum, ut ſic humor effluat, retinent,

tinent, & omnes ſimiles morbos ſanant, & in ulceribus fœtidis conveniunt.

Gymnodisperma Umbelliferæ.

Gymnodisperma vocantur à γυμνὸν & διπτὲρμα *id eſt, quæ poſt ſingulum florem gerunt duo ſemina nuda.* Umbelliferæ *id eſt gerentes umbellam quæ proprie dicitur inſtrumentum portabile, quod in India ſervi ſupra ſuos heros apponunt Soli ut umbram faciunt ſuavem*, illud ſi ſurſum iterum explicetur, ſed ſi deorſum iterum complicetur, hæ plantæ galli dicuntur *plantes en paraſole.* Eadem ratione creſcit caulis, qui expanſos dat ramos, qui rami ramulos, qui ultimi habent floſculum polypetalum; harum plantarum Character primò eſt, quod oriatur pedunculus floris ex pedunculo, & unusquisque pedunculus iterum dat radios, & ex radio iterum radii prodeunt, & ſic umbellam formant, & omnis talis radii ultimi finis abit in placentam, qui utcunque balſamo ſeu loculis therebinthinis ſecundum *Malpighium* conſtat. Sub hac placentâ ponitur græcè κάρπον dictum, character totius generis eſt, quod hæ duæ plantæ poſt ſingulos flores maturos duo ſemina naſcuntur, quæ ſunt planè conjuncta, ita ut referant unum ſemen, & per maturitatem dehiſcant, ſupra ovarium naſcitur flos; hinc dixit *Tournefortius* ovarium à calice formari, ſed malè, nam calicem non habent; hinc hic flos ab ovario ſuſtinetur, paucæ ſunt in hac gente, quæ umbellam non habent, ſed ſemen & flos ſic his convenint, ideo ob hanc convenientiam ad hanc claſſem eſſe referendam putavi; hæc gens eſt caſtiſſima, nec ullam ſpu-

ſpuriam plantarum admittit, ergo hic naturæ lex eſt ſtabilis; *gens verò dicitur, qui ſub ſe complectitur plurimas familias, familia verò, quæ ſub ſe habet genera, genus quod ſub ſe habet ſpecies ſeu perſonas, folium ex lateribus multis foliis compoſituras* hæc iterum ex foliolis. Flos eſt roſaceus & pentapetalos, ſemina flore ſupponuntur bina. De umbelliferis videatur tractatus clariſſimi *Moriſoni*, qui hoc genus tantæ æſtimavit dignitatis, ut integrum de eo ſcripſerit tractatum.

Fœniculum.

Character eſt, quod ſit planta Umbellifera gymnodiſperma ex foliis compoſitis in tenuiſſimis capillamentis diviſis conſtans; ſemina oblonga, craſſiuſcula, nigricantia, tumidiora, utcunque ſtriata. Radix fibroſa plerumque ſat craſſa, longa, alba, recta, odorata, ſaporis ſubdulcis & aromatici; Caulis ſtriatus, rectus, adoris grati, ſaporis aromatici.

Nomen habet à Venere, quia cum aliis plantas ſata eas reddit proliferas, vel quia in homine ſemen provocat. Prima, ſecunda, tertia, & quarta dicitur apud *Hippocratem* & *Dioſcoridem* alioſque *Marathrum*, *Dodonæus* belgicè, *veelgoet* vocavit: harum virtus eſt decantatiſſima.

Vires. Tota planta in officinis una cum ſemine recipitur, calidis majoribus annumeratur, Radix recipitur inter quinque aperientes majores, ſemina inter calefacientia, & tota planta inter alexipharmaca, folia eaſdem habent vires, habet aroma ſubtile, balſamicum, pingue, calefaciens, antiſcorbuticum deliniens

 ſemen.

ſemen. Radix foſſa tempore dicto ſiccata in umbrâ, & ſub arenâ ſicciſſima aſſervetur in uſus, eſt Diuretica, Lochia, Hæmorrhoides, menſtrua promovens, putredinem arcet, demulcet, ſi coquatur multum de viribus perdit, Folia in cataplaſmate, fomentis & in contuſione laudantur à chirurgis, ſi cum aceto adhibeantur; lac promovere in puerperis obſervantur, ſi enim lacte cocta jejuno ſtomacho hauriantur, ſi contuſa in lacte vino vel cereviſia coquantur, optima ſunt ad colicam flatulentam frigidam, ad dolores podagricos, ad Gonorrhæam virulentam, ubi urina redditur ardentiſſima; ex hac enim planta fit oleum, ſpiritus & aqua, dicitur ergo herba Uterina & Galactophora, herbam recentem hic imprimis laudamus; in Pleuritide, Peripneumonia, Catarrho, tuſſi, quæ Phtyſin præcedit, ſi folia recentia cum ſero lactis vel aquæ infuſa glycyrrhiſâ vel ſyrupo violarum, Altheæ Fernelii vel capillorum veneris edulcorentur, & ægris propinentur, tum laxat, aperit, maturat, emollit, & exſpectorationem promovet, non melius eſt remedium, & habet virtutem quam de ſpeudano laudarunt veteres; hinc hæc herba in inflammatione optimè adhibetur. Folia recentia cum lacte dulci & ſapone veneto decocta reſolvunt tumores frigidos mammarum, Radices proſunt in Renum, ſtomachi, & Pectoris morbis, ſemen maſticatum commendatur contra animam fætidam infantibus, egregium eſt anticolicum. Semina ſunt oleoſiſſima, ita ut inde oleum fiat æquè ac ex maximis, aromaticis Indicis, & novem guttæ ſaccharo miſtæ plus faciunt in morbis, quam ſi una libra plantæ recentis ſumeretur, ſed in morbo in-

inflammatorio tamen non uti licet. Octava paulo acrior habetur, vulgò pro seseli Pelaposiaco, seu seseli massiliensi, hæc antidotis ingreditur; ex hac planta fit aquâ, syrupus & Decoctum. Ex illa planta destillatur aqua optima ad oculorum inflammationem, uti & oleum in colica flatulenta, semen in spiritu vini infusum in eodem convenit morbo.

Cuminum.

Character. Caulis in multos ramos divisus, Folia ut Fæniculi minutim incisa, sed minora, flores in umbellam crescentes in summitate ramorum, coloris albi; semina bina se invicem juncta, striata, oblonga, minima, acuta, coloris cineritiei, viridescentis aut flavescentis, odoris penetrantis & ingrati, saporis plerumque acris subamarescentis; semine maturo radix perit. Cæterum convenit in omnibus cum Fæniculo, semine saltem non largiori, radice minus crassa & sapore singulari.

Nomen à κυεῖν parere, quia contra sterilitatem egregia esse dicitur.

Vires ut fæniculi paulo saltem ingrata est planta, datur ad excitandam in languentibus Venerem, recipitur ad caseum magis solubilem reddendum, flatus discutit, contusum & sacculo inditum extrinsecus applicatur, quo stomacho frigido flatulento succurrit; paratur oleum in Phiala, coquendo semen cum oleo olivarum, sed ad morbos frigidos paratur oleum destillatum. Denique Emplastrum de Cumino contra vermes umbilico imponitur, uti & tumoribus frigidis, flatibus & incommodo, quod scroto supervenit, strumis & scrophulis. Semen

men in Hydrope Tympanitide aliquando cum magno ſucceſſu adhibetur.

Buxus.

Lignum hujus arboris eſt durum, compactum, & flavum, folia oblonga, minima, dura, obrotunda, craſſa, polita, ſemper viridia, ſplendentia, odoris penetrantis ſatis grati; flores minimi; fructus in tres partes diviſus, in quibus eſt capſula cartilaginoſa, quæ contractione ſua ſemina fundit, hæc ſemina ſunt fuſca, longa, & ſplendentia.

Nomen græcè πυξὸς à πυκνότης denſitas, quia lignum hujus arboris eſt ſolidum & compactum. Folia ejus ſunt amara, ex hoc ligno per diſtillationem extrahuntur ſpiritus acidus & oleum fætidum. *Quercetanus* dicit hoc oleum eſſe optimum in Epilepſia & Odontalgia, ſi illud rectificetur cum ſpiritu vini eſt aperiens, ſi viginti vel viginti quinque hujus olei guttæ cum ſaccharo aſſumantur, cum adipe vel pingue diu miſtum optimum eſt linimentum in Cancro; multi auctores dicunt hoc lignum ejuſdem eſſe virtutis ac ligni Guajaci & ſaſſafras, in morbis venereis. Sapor hujus plantæ eſt amariſſimus ingratus, & penetrantiſſimus; habet hæc oleum, quod æquè bonum ac therebinthinæ lucidum eſt & nervis applicatum ſedat dolores, nam inſtar ſpiritus agit, hinc conducit ad promovenda menſtrua, & ad ſuperandum uteri Rheumatiſmum, ad Chlorolin virginum, inde oleum fit, quod Heracleum dicitur, & laudatur à vi Anodyna & odontalgica. Datur in pleuritide, ubi eſt aperiendum, & ſudor excitandus.

Meum.

Meum.

Character Radix satis crassa utcunque obtusa, unde radix ursina vocatur in officinis, est etiam oblonga digiti crassitie foris ferruginosa, intus pallida, aliquantulum resinosa, saporis & odoris ad Angelicam & ligusticum accedenti; ob sui nimiam fragrantiam nonnullis molesta & odiosa, pectoris angustias & gravedinem capitis augens; hinc in dosi consideratione exhibenda. In pectoris pituita acriori temperanda & evacuanda admodum conducit. Datur ut Angelica, at in dosi parciori juncta cum Imperatoria. Folia tenuissima, flosculi rubelli, reliqua ut in Cumino.

Nomen à μεῖον *minus* quia folia hujus plantæ sunt minima belgice *beerewortel.*

Vires. Semina, folia, radix in usu sunt, semen vim habet eandem, quam fæniculum, sed magis balsamicum, laudatur pro Astmaticis, & ubi lentor vel viscida materies hæret, si modò non sit ab inflammatione, sed perhibetur nullam esse plantam, quæ magis libidinem provocat quam hæc; hinc dicitur Lenoni lucrum dare multum, & hinc nummis Lenonis dicitur, laudatur à vi alexipharmaca antidotali, nam in Antidotis ut Mithridatio & Theriacâ ingreditur; mane si manducetur, fætorem & anhelitum tollit, gingivas roborat, & vitia ventriculi emendat, radix laudatur in provocanda urina, menstruis, calculis pellendis, optima est ad pus detergendum, effoditur mense Januario vel Februario, in colicâ flatulentâ etiam conducit.

Visnaga.

Character. Folia longiora, umbella post delapsum florem, mox contracta, radii umbellæ longissimi; hic vocatur, quia umbella avis nidum quasi tefert.

Vires habet easdem ac fœniculum ut dicit *Bauhinus* alioquin non est notum vel determinatum.

Seseli.

Nomen à Thipsiâ insulâ vel à *θάπσος urens* Gallis dicitur *Turbith batard*, turbit officinale. Nomen est antiquum, sed tot plantis datum ut nullus sit finis, primò *Lobelius* vocavit *Meum adulterinum*, & ferè omnes post eum, *Morison* ad saxifragas retulit, de hac plantâ nil commendatur in medicina, nisi quod Radix exsiccata valde sit urens & stomachum movet, extrinsecus Escharoticum est, data ad unciam unam vel duas purgat per superiora & inferiora vehementissimè; in unguentis ad cutis morbos curandos adhibetur; hæc planta non tam odorata est ac fœniculum.

Bulbocastanum.

Character. Radix bulbosa, nigrâ cute obducta, carnosa, edulis, extus nigra, alba intus, folia tenuissime divisa, semina parva, sulcata, oblonga; folia accedunt ad seseli ut & flos, semina & umbella pro bulbo habent quasi nucem castaneam, hinc nomen dicitur à *bulbo* & *castanea*, Italis *paucaseole* vocatur, à *pane*

&

& *casea*, *quia nutriunt instar panis* & *casei*; dicitur belgicè *aardeikels* gallicè *terrenoix*.

Vires. Bulbus recipitur in medicina pro nutrimento & sanguinis incrassamento; hinc chylopoiesin & haimatopoiesin promovet & nutrit, Hæmoptoën curat, ut *Trallianus* dicit, si folia in lacte cocta iis, qui pectoris asperitate & Phtysi laborant, propinentur, in nimio hæmorrhoidum fluxu ut & in frigente venere laudatur.

Oenanthe.

Character. Radix crassa & constans sarmentis carnosis, quæ se per solum dispergunt, & quæ continent quasi appensos bubillos, unde & filipendula audit, omnes apii habitum habent, semina ferunt oblonga, gibba vel striata vel non, quæ in aculeum desinunt, crescit plerumque in Regionibus frigidis.

Nomen. Ab οἴνη *vitis* & ἄνθη *flos*, quasi *flos vitis*. Quia veteres Plantam aliquam Oenanthem vocarunt, quæ tempore eodem ac vitis florebat, aut cujus flores eundem spirabant odorem

Vires sunt maximè venenatæ, si hæc planta gustetur, mortem illico homines convellendo infert, ut Hægæ Comitum accidit, ubi duo homines iverunt herbatum, qui hanc herbam invenientes gustarunt, hinc primus statim convulsus mortuus est, alter paulo post, talia exempla *Stalpert van der Wiel habet in suis observationibus*, ubi homines solo gustu intra duas horas obierunt, hæc herba cerebrum infestans homines convellit, & tam citò agit, ut vix medelæ locus sit. Quinta est planta rara. Ter-

tia, Quarta, ſexta, & nona dicuntur eſſe amiciſſimæ (& reſolventes) corpori humano, ſed tamen apud nos non in uſu ſunt. Sexta & ſeptima hic in foſſis ſuburbanis quidem inveniuntur. Radix eſt ſaporis acris & ingrati, ſuccum habens in initio lacteum, ſed poſtea flavum, virulentum, venenatum, & fœtidum, hæc planta aſſumpta, ſtatim dolor in ventriculo ſummus, & convulſiones adeo immanes fiunt, ut maxillæ fiant immobiles, & ſingultus frequens ſubſequatur, oritur conatus vomendi ſine effectu, ſanguis ex auribus magna copia fluit, unicum ſolamen in hoc caſu eſt, ut æger aſſumat in magna copia oleum, butyrum, vel lac, ut acre aliquantulum inviſcetur, & poſtea vel per inferiora vel ſuperiora determinetur.

Silaum.

Prima dicitur à *Tournefortio* angelica ſed non video rationem. Nulla virtus medica.

Siler.

In primo indice hæc ad Liguſtica ſecundum Methodum Tournefortianam retuli, ſed puto tamen hoc nomen hic retinendum, & hinc ſingulare genus conſtitui debere. Semen in omnibus Antidotis ingreditur, & in cardiacis, carminativis omnibus, virtusque eſt penetrans & aromatica, ſudorifera, reliqua ut fœniculi. Radix iiſdem virtutibus prædita ac meum Amanticum, & hinc ad Alexiteria refertur, ſed paulo fortius eſt ac meum.

Li-

Liguſticum.

Character. Folia habet lobata, & ſat conſpicua, neque ita inciſa, ſemina oblonga, ſat magna, ſtriata.

Nomen à *Liguria* quia hæc planta maximè olim creſcebat circa flumen Genuæ, quod Liguria vocabatur.

Vires. Radix eſt oblonga, pollicari craſſitie, foris fuſca, intus pallida, ſaporis acris, aromatici penetrantis ſubdulcis odoris, jucundi & fragrantis, nonnullis gravis & moleſti, in ſcotia indigena, ibique in locis montanis creſcit, ubique ab ruſticis hominibus ibi habitantibus carpitur, ut & aliæ herbæ, ex quibus medicinam parant, nam non habent medicos, hic ergo laudant hanc herbam in aſtmate purulento ſanguinolento, & contra omnes morbos à lentore ortos, attenuat, laudatur in morbis pectoris, aſtmate à Phlegmate orto, quod expandit & pulmonem roborat. Folia carpta, contrita, cum aquâ cocta & glycyrrhiſæ edulcorata dantur, hæc planta alexipharmaca eſſe creditur, in ſudoriferis & diureticis eſt notiſſima. Radix omnes morbos inflammatorios & pituitoſos curat, ſed forſan miremini me hoc de hoc herba affirmare, cum ſit quaſi contradictio, ſed tamen in utroque caſu adhiberi poteſt, nam virtus eſt emolliens reſolvens, calefaciens, & tamen non inflammans; ſi Radices coquantur & aſſumantur, tum ſputa in Peripneumonia, (quod bonum eſt ſymptoma) provocant, ſed ſi tamen nimis coquatur, vim ſuam perdit, eſt Ariſtolochica, Galactophora, & aphrodiſiaca. Semen in viro auget, ut & lac

in muliere lactante, & obstetrices hoc habent pro arcano ad promovenda lochia, secundinas fætumque si requiratur, tum mulieribus hunc succum dant, optima est in ascensione matricis & suppressis menstruis, semen ad unciam dimediam cum aqua potum est sudoriferum. Est egregium carminativum, & inde spiritus educitur, quod dicitur potus ligusticus belgicè *lavas*, quo ita abutuntur nostrates, semina laudantur inter carminativa, ex his fit oleum calefaciens, non nimis acre; succus quotidie sumptus Nephriticis optimè conducit, nam saburram & purem ex renibus educit, ex seminibus parantur aqua & spiritus ligustici in histericis, quando spasmos intestinorum non potui prohibere, tum hoc spiritu quasi per incantamentum liberatæ sunt mulieres ab horrendo paroxysmo; sic & melancholicis si â suis phantasmatibus non abduci possent, dedi. nam illi inde valde exhilarentur, sed dedi sub alio titulo, si enim ægri scirent, quod illud medicamentum esset legusticum, unde adeo exhilarentur, semper sic hilares esse cuperent, hinc in eo nimis debacharentur, nam est amabilis potus, & siquis semel ei assuetus usum valedicere non possit; cæterum specificè in Ictero laudatur, dum vel suâ dulcedine acriorem bilem mitigat, aut bilem in intestinis cunctantem incidit & promovet, excitat draphoresin, frigus expellit calefacit, extrinsecus usus ejus celeberrimus est in balneis, cataplalmatibus, utero & uterinis dicatis; ubi stimulus balsamicus requiritur, egregia planta censetur, Antiscorbutica est.

Cha-

Angelica.

Character. Caulis craffus excavatus, odoratus, coloris viridis rubicundi, folia fat magna, incifa, fere ramofa, flores albi in caulium fummitatibus in umbellas crefcentes; finguli flores habent quinque folia in calicis extremitate; his floribus decifis fuccedit fructus, duo femina ftriata, obrotunda, fatis longa, anguſta habens. Radix aliquantulum refinofa, oblonga, craffa, in fibras tenuiores devifa, externè ex albo rubefcens, internè medulla alba, odoris fragrantis, faporis acris fuaviter amaricantis cum quadam blandâ dulcedine. Tota planta habet odorem & faporem aromaticum, crefcit in locis humidis.

Nomen ab angelo habet nuncio divino, qui cum exercitus Imperatoris pefte laboraret, in fomno monuit, ut hanc fumeret plantam, quæ etiam exercitum liberavit, alii dicunt plantam fic effe dictam, quia angelicas virtutes feu humano ingenio fuperiores habet, eft planta recens cognita, licet multi credant hanc etiam veteribus notam fuiffe, fed fub alio nomine, quod etiam verofimile videretur, quia prima, fecunda, tertia & quarta ubique in Europa crefcit, ubi primò Botanica florere incepit; hinc putant effe fylphon *Diofcoridis*, fed rationem non video.

Vires. habet vim balfamicam, fi manducetur, non tamen acris eft; hinc ad emendandum fatidum oris halitum commendatur in Cataplafmate refolvit, contufa tumores difcutit, femen generat, Emmenagogum & Ariftolochicum eft; contra Tuffim, Colicam, Scorbutum frigi-

frigidum, Laudatur ob vim aromaticam penetrantem, habet usus alexipharmacos, internè in infuso decoctove contra morbos pectoris crassos, glutinosos, lentos, adhibetur, instar Thée epota Antiscorbutica, Diaphoretica & Diuretica est. Decima & undecima conveniunt multum tertiæ, decimam habeo in horto suburbano, ubi crevit ultra hominis magnitudinem, omnes hæ plantæ sunt biennes. Prima, secunda & Tertia recipiuntur in Medicina, sed omnium maximè secunda, cujus sapor est acris calidus, penetrantissimus & suaveolenissimus, qui se optimè in Radice manifestat, nam Radix habet saporem ambrigrisei similem; constat sale volatili oleoso adjuncta dulcedine quadam, quibus sunt inclusæ particulæ anodynæ, similis est Zedoariæ & Imperatoriæ, at temperatior est, & ob sui blanditiem ad dulce vergentem, opus suum cum quadam vi anodyna absolvit, eandem ob causam singulare quid efficit in vitiis pulmonum, ut contra morbos pectoris crassos, glutinosos, & ad Astmata curanda præsertim in infuso decoctove in omnibus uteri affectibus ut & in colica, hysterica, omnia aromatica ferè superat, & dicitur Princeps sudoriferorum & alexipharmacorum, & laudatur contra omnia venena, quæ tamen tam volatilia, ut per sudores expelli possint, hinc optimum est in peste si sumatur dragma una ex vino. Radix hujus plantæ effodi debet tempore verno, nempe in Martio circa plenilunium cum verno præcedenti sata est, nam tum hac æstate nondum floruit; si verò jam flores tulit, vel fert, tum Radix virtutem amittit. Semina carpantur autumnali tempore, & in umbra siccantur, in foliis idem obtinet, sed

car-

carpantur, si jam jam florescere incipiat planta, vel paulo ante: Ingreditur in omnibus antidotis, & in pulveribus omnibus contra venena in Germania adeo notis. Fit inde aqua, optime tamen spiritus, qui fragrantissimus, carminans, & gratus, ex contusis foliis fit conserva. Datur ut aliæ Radices in substantia, frequentius tamen in infuso, non raro etiam in extracto feliciter datur, si jungatur Zedoariæ, Zinziberi, Imperatoriæ gratiam peculiarem conciliat, easque temperat. Semina in spiritu vini infusa conducunt in colica flatulenta.

Imperatoria.

Character. Folia ampla magna lobata impari extremum claudente, dura, leviter incisa, dentata, flores quinque folia habentes & in umbellas crescentes. Radix aspera, fibrosa aliquantulum, crassa, continens medullam albam, aromaticam, saporis acris, paulo amari, totum os calefacientis; semina plana, empla, ovata, foliaciis marginibus distincta, & involucro instructa. Crescit in montibus.

Nomen. Quia Imperatoris gaudet virtutibus, dicitur germanicè *Meesterwortel* Radix magisterii ob summam virtutem.

Vires. Radix sola adhibetur in Medicina, est oblonga, pollicem crassa, foris fusca intus alba; sapor ejus acerrimus, aromaticus, calefaciens & vellicans linguam, ador fragrans, Alexipharmaca & Sudorifera est, attenuat, aperit, gustata salivam provocat in ore; si ingeratur, purget, unde dicitur purgans Rusticorum, quia hæc sæpe utuntur pro purgatione, si minori copiâ sumatur, est sudorifera & Diuretica,

retica. In Colica hysterica, convulsiva, Tympanitide tantâ sæpe agit cum violentiâ, ut freno opus habeat, nempe levistico, Meo, alterave dulci & viscosâ radice, in febribus intermittentibus præcipuè Tertiana & Quartana. specificum est remedium, & in morbis soporosis, omni suâ parte eundem habet saporem odoremque, aromaticum, fervidum & igneum, decoctum vel infusum, tunc nullum medicamentum est contra venena volatilia promptissimum, donec excitetur lenis sudor, si majori copiâ exhibeatur, alvum movet, in Hydrope etiam laudatur, si cum melle uncia una detur, modo viscera adhuc sunt integra; est etiam antiscorbutica. Egregiè audit, ubi viscus subitò à materiâ viscidâ est liberandum, *Baglivius* hujus usum valde commendat in morbis pectoris, ut in pleuritide & peripneumonia nempe si materies cocta & vis expultrix deficit, si tum radix cum aquâ infusa melle edulcoretur tum exspectorationem liberantem à morbo provocat, hæc quoque in Antidotis ingreditur iisdem imprimis ut Angelica, aperit & calefacit, in tumoribus concutiendis, ubi inflammatio non est metuenda, ut in scorbuto convenit, si radix per medium scindatur, tum apparent folliculi, qui oleo & balsamo pleni, in quibus ignea vis nempe in hoc oleo & balsamo inest, sic ut hæc planta Angelica sit magis calefaciens, halituum fætorem corrigit. Radix est effodienda media hyeme anno secundo, folia contusa ad discutiendos tumores frigidos valet, oleum destillatum ut & spiritus habent vim carminativam, stomachalem, summo jure in scorburo laudatur; in Nephritide sabulosa & retentione urinæ radix in aqua decocta est optimum remedium.

Smyr-

Smyrnium.

Character. Radix cauliformis, carnosa folia lobata, crassa, semen per maturitatem ferè rotundum, crassum, striatum; hæc planta crescit in locis aquosis circa montes, & mare; radix est magna, circularis, alba, succum amarum gustui præbens, & adorem & saporem Myrrhæ habens.

Nomen à σμύρνα *myrrha*, quia saporem & adorem myrrhæ refert; vel quia illa planta, quam Veteres Smyrnium vocarunt, per incisionem Myrrhæ similem reddebat liquidum; Hypposelinum quia Apium refert, & quorum morbis curandis egregiè censetur; selinum largissimo usui fuit in Botanicis receptum, nam plantæquoque in petris crescebant, dixere *petroselinum*; quæ in aquis crescebant vocarunt *Hydroselinum*, quæ in montibus *Areosilinum*, sic etiam *aneoselinum* dicitur, quasi satinè *asinoselinum*, sapor hic medius inter Apium Italicum vulgò belgicé *selderey* dictum, & inter apium petroselinum; hinc nonnulli vocavere *Olgatrum* ut distinguatur à colore albo & Lactuca, *Macrone* etiam à *Rajo* dicitur, quæ est vox Italica, quæ barbarè creditur esse vox macedonica, quia olim malè hæc planta *Petroselinum macedonicum* vocabatur; dicitur etiam *Olus atrum*, ad differentiam Oleris albi, quod Vaterianella est. Est planta biennis, quæ ex seminibus sponte cadentibus procrescit, hæc planta quò ad figuram ratione temporis & magnitudinis multum differt, ita ut quidem quis triplicem esse plantam putaret, si diverso tempore accederet.

Vires. Folia, semina tenera suavissimum nutri-

nutrimentum ſimile ac apium præbet, eſt aperiens, Diuretica, Emmenagoga, ſudorifera, anticolica, & aſtmati optimè conducit, uti & menſtruis obſtructis, partui difficili, dolori Iſchiatico.

Siſarum.

Character. Folia lobata, in margine inciſa Radix tenera, carnoſa id eſt apii ſimilis plurimas habent radiculas, pendentes ex una quaſi ſede, ut digiti de metacarpo, ſaporis dulcis; ſemina ſtriata, & exigua.

Nomen. A Radicis ſuavitate ferè dicitur, nam nulla planta ſapore ſuavior habetur, *Plinius* dicit, quod *Imperator Tiberius Cæſar* ſibi exegit pro tributo à Germanicis hanc radicem, vocatur belgicè *ſuykerwortel.*

Vis eſt egregia & iis conducit optimè, qui ſanguinem ſpuunt, vel mingunt, ſi modò vellent non niſi hanc radicem edere, hacque cum lacte vel ſero vel jure carnium cocta corpori conciliarent laxitatem & ſanarentur; Laudatur & contra Stranguriam & Teneſmum, ut optimum Remedium ita & contra Dyſenteriam & alvi fluxum; Phtyſicis valde macilentis ſi hoc modo (ut dixi) cocta radix & contrita mane potanda detur antequam ſurgant, optima conducit, ut & omnibus pectoris morbis, ſemen etiam provocat.

Tragoſelinum.

Character. Radix cauliformis, alba, tenuis, ſaporis acris, odoris nullius ſponte provenientis folia pinnata, ut vel Agrimonium vel Pimpinel-

nellam referant; habet majorem acrimoniam quam illa quæ in hortis colitur.

Nomen. τράγος *hircus* & σέλινον *petroselinum*, quasi *hirci petroselinum*, quia sæpe folia Petroselini hanc plantam referunt, & Hirci iis delectantur, *saxifraga* quia ex saxis crescit, sic ut frangere ea videatur; multi putant nomen his plantis tributum, quia calculum frangunt, sed errant; nam plantæ, quæ saxosis montibus crescunt, ut & quæ in petram radices agunt, vis acris aromatica inest.

Vis in medicina vix habere creditur. Prima, secunda & Tertia Piper vocatur, quia in his fervor tantus adest, ut ori sustineri nequeat, hinc conveniunt, ubi calefacientia requiruntur, ut in Hydrope aquosa; secunda fortiter agit, hinc magnâ vi quidem calculum expellere potest, non dico semper hoc convenire; denique est Aperiens, Emmenagoga, Diuretica, Diaphoretica, Quarta dicitur piper, nam piperis acrimoniam superat.

Sium.

Character. Caulis crassus, angulosus, striatus, excavatus, in ramos divisus; folia conjugatim adnata uni costæ, in margine incisa, crassa, oblonga; flores in umbellas crescentes, singuli quinque folia habentes; semina bina se invicem juncta, subrotunda, minima, striata, in uno latere compressa. Habitus reliquus plantæ hujus est instar Pastinacæ radix parva, fibrosa, nigra; tota planta odorem bituminis habet.

Nomen à σείω moveo, fluctuo, quia aquis innatans maris quasi fluctuat, & à vento facilè

semper

ſemper movetur, quod verum eſt imprimis in prima veteribus nota, quæ in paludibus creſcit, & vento mota movet palludes; hæc omnia huc referuntur propter ſimilitudinem foliaturæ, prima prodit quaſi hydropetroſelinum in foſſis.

Vires. Prima ſaporem, odoremque Paſtinacæ & Apii habet, hinc aperit, detergit, urinam & menſes promovet, optima eſt contra Dyſenteriam & Scorbutum; ſapor hic aromaticus, laudatur ad *Hippocrate* ut Emolliens in inflammatione ſolvenda, uti & à virtute nitroſa & ſolvente, ſed vires experiri nunquam auſus fui ob ſimilitudinem quam habet cum ſecunda, quæ eſt cicuta aquatica, quæ habet Radicem craſſam bulboſam, & ita allicit oculos, quaſi optima Rapa eſſet, eſt etiam ſapore ſuavi, ſed ſi in ventriculo aſſumatur, horrenda fit convulſio, quæ niſi moriantur ægri, vomitu ſolvitur; hinc ſi medicus ad ægrum ſubitò convulſum advocetur, tum illi eſt examinandum, an æger ruri, ubi hæc herba creſcit, non fuerit, illeque de hac herbâ ederit, hocque facto ſtatim cognoſcit morbum, nullum enim venenum talia ſymptomata producere poteſt, nam omnes partes convelluntur, caput quandoque retrorſum planè trahitur. Tum inſtrumento oblongo, excavato & mobili in Æſophagum adacto ſtatim per ſyringam oleum tepidum cum paulo melle & aqua injicio, unde æger illico vomit, & ſic morbus ſolvitur; hinc in talibus caſibus ſemper eſt cogitandum, num ne æger de hac plantâ ederit, nam hæc noſtris Regionibus eſt indigena, Oenanthe verò peregrina *vide Wepferum de Cicuta Aquatica.* Tertia dicitur non eſſe tam venenata, ſed ob ſimilitu-

litudinem prioris ejus usum nondum planè constat, tamen ejus radices adeo suaves & candidæ dicuntur, ut infantes alliciant, quas si edant, vertiginosi cadunt, convulsique moriuntur. *Sexta*, hujus semina referunt Amomum veterum, & eandem virtutem habent, hæc planta est aromatica, penetrans, accedens virtutibus ad Cardamomum, est enim Menagoga, Tristolochica, Pulmonica, Anticolica, semina & radix recipiuntur in medicinâ, in omnibus Antidotis & Theriacis ingreditur hæc planta, hæc Amomo substitui potest ob egregiam vim balsamicam, & aromaticam; in reliquis vis metuitur ob affinitatem cum cicuta aquatica; hinc videmus plantas communi nomine insignitas diversás habere virtutes, nam prima & quarta sunt plantæ frigidæ, secunda est venatissima, Tertia est calefaciens Aromatica. Sexta conducit in menstruis obstructis, calculo Renum & Vesicæ, Dysenteriæ & Scorbuto.

Cicutaria.

Character. Radix fibrosa, caulis ngens, nodosus & concavus, folia cicutæ majoris simillima, semina profundè striata, angusta, oblonga, magna, per maturitatem limata.

Nomen à cicutæ similitudine.

Vires. Hæc planta talem fœtorem habet, ut æstate contrita & naso adhibita convulsionem faciat, est ergo planta venenata, & agit ut cicuta, ejus antidotum est aqua tepida cum melle.

Cicuta

Cicuta.

Character. Caulis craſſus, politus, ſerpentis cutim referens, excavatus; folia minutiſſime diviſa, & ſubdiviſa, inodora, Petroſelino ſimillima, flores albi in umbellas creſcentes, ſemina rotunda, & ſtriata, Radix cauliformis, longa, alba, craſſa, tota planta habet odorem ingratum, ſapor ejus eſt acris.

Nomen. Cicuta notat cavum interceptum inter duos nodos caulis frumenti, ex quo Paſtores fiſtulas componebant; unde *Virgilius* canit.

Eſt mihi Diſparibus ſeptem compacta Cicutis Fiſtula. —— ———

Vires. Hæc planta faciem habet Petroſelini imprimis ſecunda, quæ veteribus incognita fuit; Cum Athenienſes ex medicis ſciſcitarent, quænam methodus eſſet optima placidiſſimè necandi homines, quando non multa mala fecere (licet ſint bene meriti ſed tamen reipublicæ non magis inſerviunt) tum reſponderunt nil melius hoc præſtare quam Cicuta, hinc dicitur cituta homines placidè occidere præſertim, ſi paulo poſt aſſumptionem ambulent, & tum in lecto ſe ponunt, quo facto ab inferioribus frigere incipiunt, quod frigus ſenſim ad ſuperiora adſcendit, & ſic placidè moriuntur, ſic dicitur *Socrates* tali potu placidiſſimè mortuus, ut Poëta canit.

Potio,

Potio, quem necuit Gelidæ porrecta Cicutæ.

Sed non videtur fuiſſe noſtra Cicuta, nam hæc convellit; ſed potus compoſitus. Non tamen certò ſcitur, an hæc cicuta veterum ſit, licet ex definitione veroſimile videatur. In prima propriis experimentis vim deprehendi, nam herbam paulo contritam acriter ſubolfeci, unde caput mihi titubare cæpit, ita ut lapſum timerem. *Matthiolus* dicit, quod aſinus ab hac herbâ edens ceciderit mortuus, ut videbatur, ſed detractâ ipſi cute reſurrexiſſe, at huic auctori in omnibus non eſt fidendum, nam multoties errat, hoc tamen certum eſt homines hanc plantam comedentes non ſolum in convulſiones cadere ſed inde plerumque mori. Semina ſunt venenata, folia contrita ſi olfeceris, evades ebrius ſtupidusque, ut mihi contigit, ſuccus Athenienſibus in uſu erat ad interficiendos damnatos vide *Platerum de Socrate.* Veteres dixerunt eſſe ſuperbibendum multum vini vel aceti, ut torpor excutiatur, ſed puto oleum melius convenire, ut vomitus excitetur, & tum quidem vinum ſuperbibendum dari poteſt; dicunt alii modo acetum cum aqua eſſe ſuperbibendum ad vomitum uſque, & hoc aliquoties repetendum, & tum vinum eſſe ſuperbibendum. Secunda Petroſelino adeo eſt affinis, ut vix diſtingui poſſit; hinc fuit Familia hagæ-comitum, quæ in prandio inter Petroſelinum hanc herbam ſed pauciſſimâ tamen copiâ aſſumpſerat, unde tamen omnes ægri ſunt facti. Tamen externè optimè conducit in ſcirrhis & atheromatis reſolvendis; cocta cum lacte in pulpam ſummopere laudatur in Ca-

Cancro, ſedat enim inflammationem acerrimam, ſummumque tollit dolorem; Emplaſtris & unguentis ingreditur. Folia contuſa & cocta externè conducunt in hæmorrhoidibus, Podagra, dolore Iſchiatico, & inflammatione teſtium.

Phellandrum.

Character. Caulis craſſiſſimus, ſtriatus, excavatus, nodoſus, in multos ramos diviſus, qui rami ſe in alas extendunt; folia ampla, in margine inciſa, ſaporis grati, aliquantulum acris, flores in caulium ſummitatibus creſcentes, ſemina ſe invicem juncta, Aniſo craſſiora, obrotunda, fere ovalia, compreſſa, odorata, nigricantica; creſcit in locis aquaticis. Reliquum ſimile eſt cicutæ.

Nomen à *φελλίνω fluctuo ſub Mari* & *ἀνδρέομαι virile robur aſſumo*, in aquis enim non tardè fluentibus intrepidè quaſi & viriliter ſe erigit.

Vires dicuntur habere ut cicuta, at adorata & aromatica eſt, egregia eſt, ubi lenis requiritur diſſipatio humorum, apud chirurgos prima laudatur in diſcutiendis tumoribus inflammatoriis & frigidis & Gangrænæ reſiſtere dicitur, imo nil tutius in ſcirrhoſis & cancroſis tumoribus adhibere poteſt, laudatur quoque ad morbos mammarum curandos formâ Cataplaſmatis.

Crithmum.

Character. Radix fibroſa eſt, ſatis longa, craſſa valde ſparſa & quaſi repens, albeſcens, folia trifida, ſicculenta, magna, carnoſa, iterum diviſa,

divisa, semina se invicem conjuncta involucrum aliquod habentia, quod per maturitatem deponunt, striata, oblonga, alba, plana, adorata, crescit in regionibus calidis super saxa circa mare.

Nomen. à *κρίνου secretum.*

Vires. Secunda ad edulia recipitur, nam à longo tempore sale & aceto condiri solet, & belgicè *cappers* dicitur, folia ut flos capparis comeduntur; si recens sumatur Diuresin ut lactuca movet; hinc Auctor quidam dicit, quod si in æstate sumitur Diabeten causat, si tenuia sunt folia & instar Lactucæ comedantur; cæterum prima laudatur à vi saponacea dissolvendi omnia impacta internè, & maximè externè si adhibeatur, internè assumpta Diuresin movenda impacta solvit, conducit ad menstrua promovenda & in calculo solvendo.

Ammi.

Character. Semina sunt exigua Petroselino minora; striata, globosa suaviter aromatica, saporis amari, acris, odoris, fragrantis, optima ex Alexandria nobis devenientia. Folia in longas & angustas dissectas lacinias abeuntia, cranata ad costas. Flos est albus.

Nomen. Ab *ἀμνὶς matula*, quasi cogens homines ad matulam vel secundum alios ab *ἄμμος arena*, quia hujus plantæ semina sabuli granum referunt.

Vires. Planta Veteribus est decantata ad fæminarum sterilitatem corrigendam, si unciæ duæ vel tres mane vacuo ventriculo ex vino bibantur, & supra dormiant, tumque admittant viros, fæcundus sæpe consequitur cotius, videture

enim quod Uterum obſidet, incidendo per ſudorem, illud quod impedit fæcunditatem, expellit, & ſic fæcunditatem reſtituit de hac re vide *Matthiolum.* cæterum vires ſunt cum cumino eædem. Eſt diuretica, aperiens, cephalica, carminativa, antihiſterica, & cæterum virtus eſt fere ut in fæniculo, ſemen recenſetur inter quator calida majora, & imprimis in uſu eſt, eſtque valde aromaticum, & à vi ſubtili calidum ;, in omnibus ſudoriferis ingreditur, diu fuit diſputatum, an hoc eſſet Ammi Veterum, ſed quidquid ſit, ſaltem virtus eſt eadem ac de Ammi Veteres laudarunt. Semen hujus plantæ eſt unum ex quatuor ſeminibus calidis majoribus, ingreditur in alexipharmacis & Theriacis.

Apium.

Character. Semen ſtriatum, curtum, craſſiuſculum, griſeum, odorque ſaporque ſingularis, Radices in pluribus edules, carnoſæ craſſæ, rectæ albæ, profundè in terrâ repentes, in multos ramos plerumque diviſæ cauleſcentes in omnibus excepto aniſo ſatisque longæ, à Cicuta diſtinguendæ ſunt odore & ſapore. In Plerisque Radix eſt annua, ſed tamen non in omnibus ſapor aromaticus quodammodo conveniens niſi in aniſo, in omnibus flos albus, niſi in una flos ſit luteus, Caulis craſſus, ſtriatus, excavatus, & viridis, folia Petroſelini, ſed majora, viridia, ſplendentia, polita, ſuccum odoris penetrantis & ingrati habentia, præſertim ſi folia contundantur, ſaporis acris & ingrati. hinc videtis hujus characteris incaſtitatem

tem sed tamen ob similitudinem hoc genus sic dispofui vel ob saporem vel odorem.

Nomen. Ita dicitur, quia apes eo summopere delectari perhibentur, vel ab apice, quia veteres inde coronas conficiebant, ad caput ornandum, vocatur *Eleoselinum* ex ἕλος *palus* & σέλινον *Apium*. *Paludapium* ex *palude* & *apio*, *seleri* est vox Italica.

Vires. Prima usque ad Decimam quintam sale gaudent valde tenui; hinc vis aperiendi & urinam ducendi inest, Radix inter aperientes quinque majores recipitur in officinis primæ & decimæ radix est vel apii vel petroselini; per radicem apii intelligunt quinque, per petros unum, Vires optime sunt ad liberandos Renes à pituita, & pure granis calculosis, & saburra arenosi in aqua cocta & imposita extrinsecus elicit urinam à torpore vesicæ ortam. Radix imprimis est aperiens, licet semen etiam sit aperiens & calefaciens, tota herba est saporis Aromatici penetrantis sine acrimoniâ, succus est saponaceus maximè aperiens sudoremque ducens & Diureticum, multi ex horum usu in Diarrhæam & Dysenteriam incidunt, quia illud ferre nequeunt. Quinta & sexta longè sunt calidiora, hinc sunt magis sudoriferæ, prior dicitur *Medulla Domicellarum* belgicè *juffersmelk*, quia dicitur ad Venerem incitare viros & habetur pro herba ad semen conficiendum, quod etiam verum esse potest, nam calorem & vigorem producit, si Apii Radix in officina præscribatur, tum hæ duæ species intelliguntur, quæ Celeri dicuntur, sunt penitus balsamicæ; si sanguis subtiliter sit solvendus, & modicè stimulandus, tum quinque priores sumuntur, & si fortiter, tum sexta est sumenda. Octava & de-

cima sexta dicitur Anisa, cujus semina inter calida majora distinguunt se, quod folia superiora sunt rotunda, inferiora magis divisa: aroma est gratissimum; Hinc tota in usu est, & ex ea parantur oleum, spiritus, aqua, quibus vis inest fæniculi magis tamen exhilarans, unde Melancholicorum viris prodest, sed postea eo ita assuescunt, ut semper illo uti debeant, aliter est calefaciens, flatus discutiens, in stomacho frigido, colica frigida semen est egregium, præsertim si acidum prædominatur; hinc in omnibus morbis puerperarum nutricumque conducit, folia quoque recipiuntur in Medicina, semen Theriacalibus compositionibus ingreditur; oleum assumptum stomachum inflammat, Antidotum est Acetum, succus hujus plantæ in febribus intermittentibus est optimus, idem conducit in scorbuto, oris ulceribus, & gingivis depurandis, formâ gargarismatis, Conserva ex hac planta composita convenit in Colica flatulenta, urinis & menstruis, obstructis promovendis.

Myrthus.

Character. Caulis ramosus, flexilis, folia Buxi, sed minora, acutiora, polita, splendentia, odoris grati. Flores ex foliorum alis crescentes, singuli quinque folia in umbellam desinentia habentes, albi, adorati, & calicem incisum continentes, hæc calix postea fit bacca ovalis, aut oblonga, coronam habens; hæc bacca est viridis, post maturitatem nigra, succulenta, polita, habens semina dura albescentia, compacta, saporis adstringentis. Hæc arbuscula crescit in regionibus calidis.

Nomen

Nomen à *myrrha* juxta quosdem auctores ob odorem myrrhæ similem; alii volunt hoc nomen derivare à quadam puella atheniensi myrtha dicta, quæ a Pallade qui eam deperibat post mortem in hanc arborem mutasse dicitur.

Vires. Hæc arbor ut & omnes myrthi vi oleosa & balsamica sunt divites, pulchré olent, & succum habent adstringentem, vires ad Cariophillatam accedunt, hinc folia recentia. tenera cum aqua infusa instar Thée adhiberi possunt in omni morbo, in quo Caryophillatas laudavimus. Folia & fructus vel baccæ externè & internè adhibentur, omnia adstringunt, syrupus ejus cum baccarum succo convenit in nimio fluxu menstruorum & hæmorrhoidum, syrupus solus conducit en Diarrhæa & Dysenteria, folia decocta & forma Cataplasmatis applicata in luxationibus sunt optima, Rob ejus etiam in omnibus morbis, ubi est adstringendum & refrigerandum, prodest.

Carui.

Character. Caulis nodosus, ramosus, quadratus, excavatus. Semina angusta invicem juncta, longiuscula, grisea, saporis acris, & aromatici; radix longa, crassa, carnosa, alba, aliquando flava.

Nomen sic vocatur quasi capiti conducens à *καρ caput*, alii dicunt nomen esse à *Caria*, ubi Veteres hanc invenerunt plantam.

Vires. Eadem ferè virtus ac in apio; sic hominibus, qui in speciem cæcitatis incidunt, & oculos obscuros habent, conducit, & à nulla re magis juventur, quâm à semine fæniculi & Carui, omnes partes hujus plantæ à veteribus

in uſu eſſe dicuntur, ſemina inter calida majora annumerantur, ſunt oleo ditiſſima carminantia, anodyna & calefacientia, & hinc omnibus, compoſitionibus cataplasmatibus, unguentis, balſamicis, ſpiritibus carminativis & aquis majoribus ingrediuntur, ſemen habet aromaticam vim blandam ad roborandum ſtomachum, expellendam pituitam, flatus diſcutiendos, hæc puerperis ſummoperè conducit ad halitum fætidum, uti ad lac promovendum, ſemina ſola laudantur, nam herba vix odorem habet, hinc omnis vis in ſeminibus impenditur, ſemina in colica externè & internè ſunt optima.

Coriandrum.

Character. Caulis obrotundus, tenuis, ramoſus, & medullam habens; Radix minima, ſimplex, & recta; tota hæc planta, ſolo ſemine excepto, habet odorem ingratum cimicis.

Nomen à κόρις græcè dicitur *Cimex* quod eſt inſectum, quod in muris aſſeribus invenitur, belgicè *Wantluys*, quia hujus fætorem habet nam non puto ita vocari, quaſi hæc animalia pelleret vel necaret, & ἀνδρος ab *inſula Andro.*

Vires. In Medicina recipitur hæc planta, in debilitate ventriculi, ubi acidum prædominat, & in temperie frigida conducit; eſt Aromatica, oleoſa, penetrans, ſemina ſumpta in vino ad vermes necandos, ad ſtomachum debilem inertem pituitam debellandam proſunt, ſed ſolent vulgò ſaccharum incruſtari ob fætorem. De hac plantâ magna fuit lis, nam nonnullis pro medicata, nonnullis pro venenata planta habetur, quod factum eſt, quia ſæpe nimiâ ſumitur copâ, ſed moderatè ſumpta prodeſt, alioquin

alioquin dementiam inducit, & effecta ftramonii, ut dicitur, habet, fed modicè fumpta calefacit, exhilaret, & contufa cum aceto & fale folia adhibentur ad diffolvendos citiffimè bubones, Parotides internè in morbo valde frigido. Ad colicam flatulentam & hælitum fætidum corrigendum conducit.

Hippomarathrum.

Character. Caulis angulofus, ramofus, minimus, medullam fungofam albam habens; folia Carui faporis acris & aromatici, Radix longa, alba, minima, faporis ingrati, crefcit in fylvis, hæc planta Coriandro proximè convenit. Nulla virtus eft nota.

Thapfia.

Character. Semen magnum oblongum, fimbria foliacea, fumma parte plerumque bifida cinctum, Radix mediocriter craffa, ignea, fervida, longa, coloris grifei albefcentis, aliquando externè nigricantis, habens fuccum lacteum acrem, corrofivum & amarum.

Nomen à *Thapfo infula* ubi nafcitur.

Vites. Ex hac planta à veteribus premebatur fuccus, quo utebantur, fi virulenta purgatio effet facienda, nam fuccus ejus Radicis infpiffatus & datus ad unciam unam per fuperiora & inferiora purgat, ftomachum & inteftina inflammat, unde Dyfenteria oritur; & eft adeo acris, ut fpasmum faciat, & poftea deterrima oriuntur fymptomata (ut *Clufius* optime notavit) quæ non nifi per potum aceti, olei & aquæ tolluntur, hinc illam plantam non effe adhibendam cenfeo; hujus Radix fuit vendita pro Turbit Veterum, fed peffimè nam Radix primæ tertiæ, quartæ & nonæ non mi-

nus urit, quam Octavæ; externè adhibetur in unguentis pro ſcabie ſimilibusque morbis

Laſerpitium.

Character. Caulis nodoſus, lignoſus; folia ampla, magna, apium referentia, dentata; ſemen latum, membranoſum, oblongum, albeſcens, odoris & ſaporis Angelicæ, Radix longa, craſſa, internè nigricans, odoris ſatis grati. Creſcit in regionibus calidis in montibus.

Nomen. à *Lacerare*, quia cauli & radici hujus plantæ inciſiones fiunt, unde ſuccus deſtillatur, qui aſa fœtida & Opopanax eſſe dicitur; vocatur *libanotis Thus*, quia hujus plantæ radix odorem thuris habet.

Vires hoc genus eſt caſtiſſimum, & nullam ſpuriam admittit, Laſerpitii ſuccus pro nobiliſſimo habebatur, quod veriſimile eſt hanc eſſe plantam vel hujus ſuccum, ſed tamen non certè ſcimus, ſapor eſt opopanaceus, hinc videtur verum eſſe, quod ſit hic ſuccus Veterum lacerpitii. Omnes ſunt lacteſcentes, & aromaticam radicem habent, & inſervit ſuccus ad externa ulcera ſananda, & corpora balſamo condienda; hujus radix dono dabatur a ſyrenaicis populis Regi ſuo, ſi eum ſummo affici vellent honore, & hinc Laſerpitium adhuc in nummis depictum videmus, quod Legatis dabatur pretio habens ab uno latere Regis imaginem ab altero Laſerpitium.

Daucus.

Character. Folia tenuiter diviſa, lanuginoſa; ſemen

ſemen villoſum oblongum umbellis à flore delapſo clauſis indice carnoſo, ſemina compreſſa, cinerea, villoſa, ſaporis dauco cretico debilioris odoris fragrantis, umbella eſt inſtar nidi avis, unde hæc planta à quibuſdam *Nidus avis* dicitur, creſcit in locis arenoſis.

Vires. Radix eſt celeberrima contra calculum, Nephritidem ad menſtrua provocanda ſemina tempore idoneo lecta acria ſunt, ſi infundantur cereviſiæ; his dictis ægris maxime juvant, Prima, ſecunda, tertia, quarta, nobile inſtrumentum præbet, & eſt cibus optimus Phtyſicis, ſi nempe Radix ſumatur, nam ab Empyricis in ſcobem raſa & cum lacte cocta melle edulcoretur, & ſic ad omnes morbos pectoris, Anginas, & externè ad cruſtas impediendas exhibetur, in doloribus poſt partum in Colica ut ut & ſtranguria etiam exhibetur; Radix inſtar bulbocaſtanei radicis, eſt culinaris, roborat & pingue facit.

Caucalis.

Character. Radix minima, fibroſa, alba; folida villoſa, diſſecta, flos in duobus petalis cordiformibus diviſus, fructus unus gerens duo ſemina oblonga, quæ quâ parte ſe contingunt, plana ſunt, ab altera gibba, ſtriata, eſchinata, aculeata, cum ſpecies à Noſtratibus in uſum eundem ac herba Antiphlogiſtica adhiberi ſolent; Veteres pro oleribus uſi ſunt ut Caryophylli.

Nomen. Eſt antiqua vox, nec ejus derivationem ſcio, *Caucalis* ſignificat *poculum magnum*, unde vulgò dicitur *bocael*, ſed an id huc conveniat, neſcio, hoc potius in Daucis ob-

tinetur; hinc forsan per Catacrisin in abusum factum est.

Vires. Semen est Aromaticum suave; inde Incolæ *Capitis de Bonæ Spei* & Africani potum [ut hic potus Anisi est] præparent, qui potus est suavis; convenit hæc planta ad Nephritidem & menstrua provocanda.

Cachrys.

Character. Folia tenuissimè divisa, post singulos flores sequitur unus fructus in Umbelliferis, maximè fungosus, qui constat ex duobus aliis sibi mutuo impositis.

Nomen ἀ καίω *uro*, quasi *granum hordei tostum*, est vetus nomen, dicitur etiam *libanotes cachryatena*, nempe *valde urens & inflammans*.

Ferula.

Character. Folia Fæniculi, semina ampla, obrotunda; compressa in involucrum desinentia, & per maturitatem nigricantia, unde exit per incisionem succus albus.

Nomen derivatur à *ferendo*, quia hujus plantæ caules ramis arborum sustinendis inserviebant, vel à *feriendo*, quia inde olim fiebant bacilli, quibus ludi magistri utebantur ad castigandos suos discipulos, ideo *Martialis* hanc plantam vocat *Sceptrum Pædagogorum.* Octava & nona sunt plantæ valde raræ. Omnes nomen accepere à secunda planta, nam hæc videtur veteribus cognita, *Tournefortius* aliam ferulam invenit, quæ etiam videtur veteribus cognita, fuisse crescit in regionibus calidis.

Vires. Planta est admodum succosa, ut in loco

loco nativo vulnerata multum lactis præbeat, præprimis radicis succus hic inspissatus virosus est, quo ad odorem si gustetur, quasi adurens est stella, habet Galbanum, sagapenum, & ammoniacum, quod colligitur ex seminibus his inhærentibus, quæ sata ferulas producunt; hujus vis est balsamica, aromatica plurimo oleo inspissata, si applicetur, viscositate vires coërcentur, vis ei attrahens adscribitur; hinc in officinis ad omnes usus adhibentur hystericos & hypochondriacos pilulæ fætidæ vel hystericæ *Sylvii* ex hoc fiunt, juvat podagricos, & colicos dolores tollit, obstructiones solvit, est maturans & optimè discutiens, est fere universale Medicamentum, hujus virtus primò *Lobelio* innotuit, laudatur contra morbos mulierum. Quarta est ferula galbanifera, crescit in Arabia & Africa, ex hac planta per incisionem succus detrahitur, qui dicitur galbanum, hoc gummi est flavum, splendens, aureum, & aliquantulum transparens, conducit in lochiis & menstruis provocandis, in passionibus hystericis fumus ex gummi combusto naribus attractus est optimus. Emplastrum de galbano prodest in Colica, & Paralysi, si locis affectis applicentur; galbanum est optimum resolvens, conducit in tumoribus scirrhosis & bubonibus veneriis, ingreditur in Theriacis & Diascordiis.

Anethum.

Character. Radix annua, reliqua ut in Fœniculo, semina foliacea, plana, membranacea, ovata, orbicularia, compressa, in parte exteriori tribus striis vel sulcis notata.

Nomen. παρὰ τὸ ἄνω θέειν *currere* quia hæc planta intra ſparvum tempus creſcit, eſt Antiquum nomen titulo ſuaveolentiſſimo, hinc Poëta canit.

Narciſſum & flores jungam bene olentis Anethi.

Vires. Ut in Leviſtico, Fæniculo, Meo, laudatur imprimis ſemen contuſum contra ſingultum, ſi non ab inflammatione ſed à frigidâ viscidi vel pituitæ cauſâ oritur, ſic & in ventriculo frigido prodeſt, ſemina contuſa & temporibus applicata pueris placidum conciliant ſomnum, in Colicis, flatulentiſque inteſtinorum affectuum ſemen contuſum cum ſaccharo ad uncias duas hauritur, vel infuſum lac angetur, dicitur facultatem habere extinguendi, genituram, quod tamen vix credendum, cum hæc planta ſit Aromatica, creſcit in locis arenoſis.

Peucedanum.

Character. Folia trilobata, tenuiſſime diviſa, ſemina ovata, ampla, marginata, oblonga, involucrum deponentia, Radix craſſa, longa, externè nigreſcens, interne albeſcens, ſaporis pinguis acriuſculi [ut fæniculi radix] odoris ſulphurei.

Nomen à græcâ voce πεύκη *pinus*, quia folia ejus pinum referre videntur, græcè πευκέδανος vocatur, dicitur etiam *fæniculum porcinum*, ut & *Pinaſtellum* belgice *Verckrens Venckel*, creſcit in montibus.

Vires. Laudatur à Veteribus in morbis inflammatoriis reſolvendis, ſi nempe Radix cum aqua

cocta

cocta melle edulcoretur, & tum hic potus calidè bibatur; hinc optimè convenit in pleuritide & peripneumonia ſolvenda, ubi per Anacatarſin tolli poteſt ſeu excreationem, deinde contra ſanguinis mictus laudatur, uti & contra Nephritidem, ciet urinam, egregiè pituitam ſolvit, expellit omnia in rene hærentia, ſi radix cum vino coquatur, extrinſecus in hæmicrania convenit uti & aliis generibus Cephalalgiæ à catarrhis ortum ducentibus; in Cataractæ initio & abundante pituitâ laudatur, Obſtructiones omnes egregie reſolvit & diſcutit, ulceribus inveteratis mundificandis conducit; in hyſterica paſſione radix eſt optimâ, hinc virtus eſt balſamica detergens & leniter calefaciens. Eſt optimum remedium ad ulcera & vulnera depuranda.

Sphondylium.

Character. Radix ſimplex, longa perennis altiſſime depacta & ſat craſſa, carnoſa, elata, alba, inordinatè diviſa, ſuccum flavum habens, ſaporis acris; flos albus, petalis bifidis & veluti cornutis exteriore reliquis multo majore, ſemina magna, compreſſa, ſtriata, marginata, parte ſuperiore marginem habentia, & excavata, ubi ſe invicem contingunt, duas lineas nigras habentia. Caulis, nodoſus, rotundus rectus, ſtriatus, villoſus, excavatus; folia in multas partes diviſa, lanuginoſa, ſaporis dulcis, odor eſt ingratus & guſtui acris, creſcit in paludibus & locis aquoſis.

N*omen* ita dicitur, quia odorem ingratum habet ſimilem Animalculo vel inſecto, quæ *Sphondylis* vocatur, & qui amabilem colorem

rubrum tingendo facit, dicitur etiam Branca Ursina, quia Ursi pedes refert.

Vires. Acris est ut Ferula & Thapsia, in Medicina non recipitur, sed inter Emollientia à rusticis adhibetur; tamen hæc planta optima esse dicitur in clysmatibus & Cataplasmatibus, & conducere in Epilepsia, foliorum ejus vel Radicum decoctum mulieribus hystericis prodest.

Pastinaca.

Character. Folia villosa, in marginè dentata, pinnata, ex aliis sat crassis & costa magna sustentata composita saporis grati & aromatici; flos luteus, rosaceus, Radices crassæ, carnosæ, longæ, esculentæ, semina plana, ovata, margine donata per maturitatem sacculum deponentia.

Nomen. à Pastu, quia ejus radix comeditur, vocatur etiam *Elaphoboscum* ab ἔλαφος, *cervus* & Βόσκω *pasco*, quia cervi hac vescuntur herba; hinc dicitur *pastum cervorum.*

Vires. Est planta memoratissima in Medicina, hujus semen ut & Dauci semen optimè convenit in calculo solvendo; hinc fuit Medicus famigeratissimus, qui hoc lectum in pollinem redegit, ut & Radicem Glycyrrhizæ in pollinem redactam una his ægris præscripsit; conducit in colicis doloribus à pituitâ ortis, Stranguria, singultu, in menstruis obstructis, si usurpetur in Nephritide, à causâ calidâ nocet, secunda est edulis radix, quia mollem habet pulpam, & cum lacte cocta Phtysicis & macilentis prodest, quatenus nutrit. Tertia etiam pro Opopanace haberi potest, semina non sunt adeo acria, Quarta verò est planta vera, unde

Opo-

Opopanax fit, quod hac æstate expertus sum, ubi ex hac planta vulnerata profluit succus luteus, qui sole paulo inspissatus odorem & saporem Opopanacis perfectè habet, sub hoc titulo nempe opopanax in officinis habetur, Opopanax verò ab ὀπὸς *succus* & πᾶν *omnia*, quasi *omnia sanans*; hinc ab ὀπὸς *Opium* quoque nomen habet. Opopanacis ergo virtus satis est nota, resina est simul balsamus omnia leniens, consolidans &, calefaciens. Vires ut Galbani sed magis balsamicæ, sed in omni morbo, ubi est inflammatio nocet. Quinta habet vires acerrimas Aromaticas viscidas dulcissimas, contra omnes putrefactiones, pituitam & vermes est optima, externè conducit in ulceribus inveteratis, paronychiis & tumoribus.

Thysselinum.

Character. Radix perennis, magna, succo lacteo prægnans, Folia apii vel ferulæ, semina ovata, compressa, leviter marginata per maturitatem involucrum deponentia. Caulis striatus, angulosus, excavatus, rubicundus, nodosus ramosus.

Nomen. A θύω *suffio* & σέλινον *apium*, quasi *apium olens*, quia hujus plantæ radices manducatæ relinquunt in ore Thurem, sed ingratum.

Vires. Est Planta acerrima, ita ut cum primum in fossis hic inveni & gustavi; habuerim os & fauces inflammatas, sunt igitur inter plantas acerrimas referendæ, & potest quidem usum habere sed cautè procedendum. Radices sunt aperientes, & penetrantes, urinam & menstrua provocant, crescit in locis aquosis; vis lactis ad scammonium accedit, & potest ejus loco substitui.

Oreoselinum.

Character. Caulis in alas divisus, folia ex radice & caule exeuntia, & caulibus longis adhærentia, flores in summitate caulium in umbellas crescentia.

Nomen: Ab ὄρος *mons* & σέλινον *apium*, id est *apium montanum.* Dicitur etiam multum bonum belgicè *veelgoet.*

Vires. Sapor hic est ut in apio, Radix longa, crassa ut minimus digitus extus nigra, intus alba, succum mucilaginosum habens, & gustum resinosum, sed aromaticum & gratum præbens. Crescit in montibus, hæ omnes plantæ sunt beneficentissimæ, secunda habet acrem saporem.

Tordylium.

Character. Caulis striatus, villosus, folia oblonga, obrotunda, aspera, villosa, dentata; Radix annua, minima, acris. Semina compressa, subrotunda, margine conspicuo donata, odorata, gustui acria, crescit in regionibus calidis.

Vires esse dicuntur menses & urinam provocare & Catharrorum expectorationem promovere, tamen puto has plantas nullam virtutem habere, nisi quod sint æstimantissimæ, quia habent semina, quæ nummum cussum referunt.

Myrrhis.

Character. Semina oblonga, plerumque striata,

ta, ſæpe levia, aliquando hirſuta, quæ licet hirſuta ſemper ſunt ſtriis excavata, nigricantia, gratum guſtum Aniſi præbentia. Radix longa, craſſa, alba, mollis, fungoſa, aromatica, folia ampla, magna, ſtriata, referentia cicutam aquaticam, ſed magis alba, mollia, villoſa, coloris & odoris chærophylli, Caulis altus, ramoſus, villoſus, intus excavatus.

Nomen. Imprimis prima accepit, quia colore & foliaturâ myrrham refert, & ejus odorem habet, ſemina ſunt ſtriata, ſi verò nigra, tum eſt chærophyllum, referuntque roſtrum aviculæ.

Vires. Saporem habet caryophyllativum, uſus in oleribus ac Caryophylli aperientes exhilarantes, diureticas, demulcentes vires habet, in ſcorbuto optimum medicamentum, ſuccus expreſſus ex ſero lactis ad uncias aliquot egregius eſt, lapſis ex alto aut contuſis extrinſecus in cataplaſma folia perinæo & oſſibus pubis applicantur, egregium eſt remedium ad expellendam urinam ex ſpaſmo veſicæ & ſphincteris, uti ad menſtrua provocanda, tumores diſcutit, reliquæ vim habent reſolvendi, maturandi, emolliendi, & ſuppurandi ſcilicet in Cataplasmatibus maturantibus, ſed habet ſemen aromaticum acerrimum, incidens, in calculo laudatur ab *Helmontio*, flatulentis affectibus quoque medetur. Prima eſt planta diſcutiens & reſolvens, in pleuritide adhiberi poſſit, ut & Peripneumonia cum ſero lactis & melle ad phlegmata reſolvenda, & in morbis calidis quoque convenit & chronicis, licet quædam videretur eſſe contradictio, ſed tamen verum, hæc mirè exhilarat hominem; hinc melancholicis cum ſero lactis hæc planta datur

tur eſt chærophillum hiſpanicum veterum folia hilaritatis dicuntur ratione virium. Priores aliquid venenati habent & de Cicuta quodammodo aliquid participant nempe à primâ ad quintam incluſivè ſecundi ordinis poſteriores ob vim Aromaticam laudantur nempe à numero ſexto ad quatuordecim, imprimis nona, Decima ſexta, & Undecima; in ſecundo ordine non facilè à cicutâ majori diſtinguitur, hæc tubera gerit; hinc etiam dicitur bulbocaſtaneum; nona & decima in Officinis promiſcuè adhibentur ſub titulo Dauci cretici. In omnibus his ſapor idem. Nonæ ſi recentia folia contuſa cum ſale & vino in cataplaſmate formantur, omnes tumores lentos & inflammatorios reſolvit. Semen eſt hirſutum, & omnibus antidotis ingreditur, contra calculum veſicæ eſt optimum, ut *Helmontius* ipſe licet Chemicus dixit, ſi nempe manipulum unum in cereviſia dolio incluſa injiciatur, tum hæc cereviſia epota ſanat omnes dolores ſcorbuticos podagricos & nephriticos, ut etiam ſi à languore ut in pueris ſæpe ſit, urina retineatur, in cachexia, Phtyſi, aſtmate & Epilepſiâ convenit.

Chærophyllum.

Character. Semen eſt oblongum, roſtrum avium referens, non ſtriatum aliquando glabrum, aliquando villoſum, gibbum, folia Petroſelini, ſed minima, plus inciſa, & molliora, ſuccum gerentia, villoſa, flos in ſummitate creſcens, parvus, albus, Radix longa carnoſa recta, in ſummitate craſſa in inferiori parte minima, alba, tenera.

Nomen. A χαίρω *gaudeo* & φύλλον *folium*, quia

quia folia hausta exhilarant & melancholicis prosunt, dicitur etiam cerefolium quasi folia Ceres, quia hæc planta mensæ inservit, ubi olim Dea ceres præsidebat.

Vires. Odor aromaticus suavis, ut hactenus nemini ejus folia incommoda fuerint, succus pressus subtili blando oleo constat, ut Fœniculum multum salis in se habet, qui tamen spiritus est acris, sed nitrosus, sapor est balsamicus subtilis non offendens, sed bene penetrans, detergit deobstruit, solvit, externè in cataplasmatibus ubi resolvendum est optima planta, ut & in Herniis & tumoribus inflammatoriis, internè prodest Pectori, Pleuritidi, & ubi sputa critica sunt expellenda, succo paululum cocto additur mel, si hoc decoctum sorbeatur, optimum est Pectorale. Hæc planta est Diuretica & sanguinem coagulatum resolvit, renis calculum attenuat, est febrifuga, externè convenit in urina retenta, dolore colico, Tumoribus mammarum, Erysipelate, Bubonibus, scrotis tumescentibus, si foliis ejus contusis addatur oleum. In Chlorosi, & Ictero succus hujus plantæ est optimus, uti folia formâ cataplasmatis umbilico post partum applicata in colicis.

Scandix.

Character. Radix annua, ut minimi digiti crassa, alba, suavis. Folia Fœniculi, semina oblonga & rostrata.

Nomen. ἁ σκανδιξ quod græcè idem significat, dicitur etiam *Pecten veneris*, quia fructus hujus plantæ pecten refert, & venerem se cum tali pectine pexisse dicitur.

Vis

Vis vulneraria eſt, aperiens, reſolvens.

Hydrocotyle.

Character. Folia circinnæ rotunditatis in medio umbellicata, ex quo pedunculus aſſurgit, Radix eſt fibroſa, caulis tenuis, repens.

Nomen ab ὕδωρ *aqua*, & κότυλη *cavitas* quia hæc planta cavitatem habet in foliis & creſcit in paludibus.

De his nullam virtutem ſcio, niſi quod ſit acris.

Bupleurum.

Character. Folia oblonga, integra, alterno ordine cauli adnata, dura; Flos umbellatus, coſta bevis.

Nomen à βῦς *bos* & πλευρὸν *latus*, quia dicitur crepitationem lateris bovis cauſare, ſed puto potius ſic dici, quia bobus lectum præbet, vel etiam ſic dici putatur, quia folia coſtam bovis referunt, vel à βῦ *grande* & πλευρὸν *latus*, quaſi diceretur *magna coſta.*

Nulla vis medicata.

Bupleuroides.

Nulla vis medicata quod ſcio, nam à nullo auctore laudatur; ſapor tamen eſt aromaticus.

Perfoliata.

Character Radix ut minimi digiti craſſa, ſimplex, lignoſa, alba, ſemina, longa, ſtriata, nigricantia, folia ſimplicia, nervoſa ferè circularia.

Nomen.

Nomen. Perfoliatæ, quia caules folia penetrant.

Non ſcio ullam virtutem habere.

Adſtrantia.

Character. Folia quinquifida, digitata, flos Umbellatus, infernè folia ſuccincta. Radix fibroſa, nigra, uno capite adhærens; hæc & ſanicula habent characterem perfectam in indice deſcriptam, creſcit in ſylvis.

Nomen ab ἀςὴρ *Aſter*, quia hujus plantæ ſummitas aſterem refert.

Vires. Geſnerus de prima Aſtrantia dicit, quod radix ejus eodem modo purgat ac Helleborus, ſed tamen paulo lenior eſt; hinc habetur pro Marathro Nigro, nam ſapor acrimoniam cauſticam indicat; laudatur ad laxa roboranda, in Scorbuto dicitur optimus effectus præſtare.

Sanicula.

Character. Radix perennis, ſat fibroſa in quinque partes diviſa flores in umbellam congeruntur, qui formant capitulum rotundum.

Nomen. à *Sanando*, quia hæc planta pluribus morbis convenit; hæc etiam *Diapenſia* dicitur, quia habet phylla διαπενζη per quinque ſegmenta ſciſſa, creſcit in montibus ac vallis.

Vires. Maximè laudatur à Wallonis & Gallis, ita ut dicant eos non opus habere in Medicina, quam hanc herbam, edunt in inflammatione, convenit ſputo ſanguineo, *Bauhinus* putat convenire in calidis renum morbis, ſed rationem non video, in Hæmoptoſi laudatur, convenit etiam in morbis languidis, & ubi lentor

tor eſt, vires ſunt penetrantes balſamicæ, exhalent enim acre fragrans, in quo conſiſtit virtus & adſtrictionis ſenſum in ore relinquit. folia contuſa vulneribus impoſita ſine ſuppuratione curant, uti & tumores externos, ſordes aufert, detergit, in Hæmorrhagiis & Herniis conducit, tumores diſcutit reſolvendo vel diſſipando, ſi folia contuſa cum vino vel aceto applicantur, potetur etiam ejus decoctum ad ſanguinem grumoſum reſolvendum, in oſſibus fractis ubi purgandum & abſtergendum conducit, hæc planta eſt aperiens, vulneraria, inſtar Théé adhibetur, ingreditur in decoctis vulnerariis, uti in Emplaſtris & unguentis; hinc magis chirurgis quam medicis inſervit, ubi eundem cum Symphyto effectum habet, hinc quoque externè cum ſymphyto vires habere multi crediderunt.

Gymnomonoſpermæ Flore ſimplici.

In omnibus ſpeciebus unicuique flori ſemen ſuccedit involucro plerumque carens, plerumque dico, quia in Agrimonia & Circæa involucrum invenitur, ita tamen ut niſi Microſcopio pateat, ſed omnia quæ armato oculo videntur, non puto multum prodeſſe ad characterem, hinc arbitror ſubtilem quidem hiſtoriam admitti non debere, ſed character cuique oculo nudo apparere debet. Hæc familia non eſt admodum caſta, *Caſta* voco *talem familiam*, *cujus character toti genti ſine ulla diſtinctione convenit*, ſed hic eſt differentia: familia verò Umbelliferarum eſt intus caſtiſſima.

Hæc eſt claſſis plantarum, quæ poſt ſingulos

los flores ferunt unicum semen nudum, id est nullâ obvolutum capsulâ, idque constanti naturæ ordine, nisi quod hinc inde quædam invadant, quæ tamen ob similitudinem revocari debent. Hæc classis in duo summa dividitur genera, 1. Gymnomonospermos flore simplici 2. composito. *Flos simplex dicitur, cum in uno calice est unus flos* *Flos compositus* verò quoties plures minores flores colliguntur in unum, ut uno calice contineantur.

Valeriana.

Hæc umbellatim flores aggestos habet; hinc post umbelliferas est primum genus.

Papposum in his lactucis convenit.

Ovarii. In fine pedunculi habet ovarium hærens in placenta, ubi flos innascitur, hoc dicitur habere florem innatum in ovario; hocque in multis aliis plantis obtinet, sed in aliis flos amplectitur ovarium ut in Umbelliferis.

Pappa dicitur corona ex cericis filamentis factis, quæ plumulas referunt, quæ nascuntur ex fimbrio ovarii & diffunduntur cum semine.

Character. Folia conjugata, plerumque lanciniata; Flores monopetali infundibiliformes, multifidi in summitate caulium, in umbellas vel spicas congesti, post sigulum florem unicum semen nascitur acuminatum, compressum & instructum. Radix est oblonga, rugosa, digitum crassa, foris ex cinereo fusca, intus pallida, multas fibras habentia, saporis acris, aromatici odoris fragrantis & gravis; Caulis tenuis, obrotundus, excavatus ramosus.

Nomen. à *Valere*, ob magnas virtutes vel à *Valerio*

Valerio, qui hæc planta primus uſus eſt in medicina.

Vires. Eſt *verum phu Dioſcoridis*, *ut & Veterum*, græce φȣ̃ à φύω *naſcor*, vel *phu* à *phy voce pontica*, ultima vox denotat penetrantem hujus radicis odorem, falſò verò dicitur *herba ſaracenita* ad vulnera curanda, & illam non eſſe plantam ſapor docet; ſapor enim eſt aromaticus, penetrans, aliquid ingratum habens, ut de Nardo Veterum refertur; hinc patet ejus virtus aperiens, inter Ariſtolochia, Emmenagoga, & anticorbutica refertur, Cor etiam & cerebrum exhilarat, omnia enim proſunt in caſu lento frigido, & aquoſo. Auctor quidam Magnus *Cariſteus* multa de ea prædicavit virtute contra præſtigia; hocque inde ortum credo, quia ſpaſmodicis hyſtericis, Epilepticis & Melancholicis viris morbum expedit, hique morbi dicuntur *lunatici*, & mira in his obſervantur ſigna, hinc dixere Veteres eſſe morbos Deorum. Dii vero veteribus non multum à Dæmonibus deſtinguebantur, qua de cauſâ hic Auctor hoc dixit, hinc *Hippocrates* optimè de ſacris morbis dicit eſſe quoſdam morbos, qui valde mirabiles, hique ſacri dicuntur, ſed non quia à Diis veniunt, nam tum omnes eſſent ſacri, ſed ob mirabilitatem; hinc hæc planta habetur pro Antidæmoniaco, licet etiam Ruta hos morbos curet. Extrinſecus applicata confortat viſum, maculas oculorum abſtergit, adſunt Auctores qui radicem pro Amuleto febris quotidianæ habent, eamque collo in hunc finem ſuſpendunt. *Fabius Columna* Princeps & politicis ſtudiis ſacratus incedit in Epilepſiam; quum medici eum curare non poſſent, morbi diuturnitate pertæſus

pertæſus totus ſe dedit lectioni veterum Romanorum, hoc conſilio numne invenire poſſet talem plantam, unde curaretur, tandem hanc invenit plantam (quæ eſt ſecunda in indice) & per hujus radicis uſum ab Epilepſiâ fuit ſanatus, inde poſtea tantus Botanicus factus eſt, ille auctor dicit ſe plurimos hoc morbo laborantes hac plantâ fuiſſe curatos vidiſſe, ſuaſit deinde hanc radicem evellere, antequam germinare ceperit, poſtea in pulverem redigere, & hic pulvis ægris in aqua, vino vel lacte ægris propinare, quod ſummum eſt remedium jejuno ſtomacho per ſex dies ſumendum, unde ſudores erumpunt, & ſæpe alvus laxatur, quod eſt optimum ſignum. Radices ſunt valde odoratæ, acres, & penetrantes, ſaporem balſamicum, oleaginoſum levem gerentes; hinc vires eaſdem, quas in umbelliferis videmus, habet. Convenit medicamentis thoracicis, ſtomachis, uterinis, præprimis ad menſtrua lenta incitanda, ſi uncia una vel duæ contuſæ Radicis inſtar Thée cocta melle edulcoretur, contra vermes eſt optimum medicamentum uti & inſultis Epilepticis infantum;] *Camerarius* in Ictero optimè convenire dicit, uti in Aſtmate violento, ſi radix hujus plantæ in aquâ infuſa ægris propinetur, pulvis cum uno laudani grano etiam prodeſt. Hæ plantæ valent ad omnes contuſiones, ſi folia contuſa cum vino locis affectis applicentur, tumores ſcirrhoſos diſſipant ſine ſuppuratione, & ad cicatricem brevi perducunt; hinc ruſtici omnibus ſordidis ulceribus folia hujus plantæ applicant, Radix in omnibus antidotis recipitur; præterea prima eſt decantatiſſima, & hujus virtutem tamquam centies expertus vobis recommendare

re possum Octava, nona, Decima & undecima &c. ad Horti culturam spectant, egregiæ enim sunt plantæ, quæ diutissimè florent.

Valerianella.

Hoc genus aliquando pappas habet aliquando non, aliquando flores, stellam coronati, sæpe non, hinc characterem ab habitu sæpe peti debere videtis.

Character. Radix annua, minima, fibrosa, alba. Rami & caules dichotomi plerumque monopetali semina sunt magna, nigricantia, fungosa, folia oblonga, mollia.

Nomen. Quasi *parva valeriana* ob similitudinem hujus plantæ. Crescit in locis calidis. Prima & secunda, quæ prodire incipiunt, dicuntur etiam LactucæAgninæ, quia tota planta succo mollissimo constat. Locusta dicitur, quia rami Cicadæ saltandæ crura referunt; Lactuca agnina, quia si Agni in pascua ubi crescit, dimittantur, statim has plantas carpunt, unde mirè pinguescunt.

Vires. Prima vel secunde molissima est herba, succulenta, blandissima, suavissima, multumque nutriens; hinc pabulum præbet nutriens blandum leve iis, quibus ventriculi nimis debilitata vis est, dicta herba convenit, ubi leniendum, laxandum, lubricandum, unde Pleuritidi curandæ adhibetur, ut & Nephiritidi, usurpatur ad conciliandum somnum, succus hujus crudus optimus est, vel si in leni decocto carnis coquantur folia, hic succus benegnissimus & lenissimus est in Phtysi, ubi mollia & lenissima requiruntur, est egregiè demulcens; hinc in Stranguria, mictu cruento, sanguinis

guinis ſputo, pulmone aſpero, Tuſſi, dolore renum, ad Podagram mitigandam egregiè audit idem facit in ſero lactis decocta, expreſſa & in copia hauſta. Hypochondriacorum ſummum eſt ſolamen, ſemen eſt maximè aperiens, convenit imprimis in ſcorbuto & in omnibus morbis ubi Radix bulbocaſtani eſt in uſu, in Gonorrhæa & Dyſenteria etiam commendatur.

Limonium.

Character. Caules in altum aſſurgentes, quæ inde in ramos diviſæ ad caules arctè applicantur. Flores ſunt vel Caryophylli vel monopetali; caulis fit vaſculum ſeminale, quod unicum complectitur ſemen arctiſſimè, cum quo cadit, Radix craſſa, cineritia, guſtu adſtringens, in multis capitibus diviſa; creſcit hæc planta in locis aquoſis & paludibus circa Mare.

Nomen. à λειμῶν *pratum*, quia in pratis creſcit, vel à λίμνη *palus*, quaſi planta ad paludes creſcens, *teſte Dioſcoride* λειμὼν *ſignificat herbam pratenſem.*

Vires. Prima commendatur virtute ſuâ detergente & aperiente, & vulneraria, & videtur eſſe ſucculenta planta ut ſemper vidi, cæterum non recipitur in Medicina.

Plumbago.

Character. Radix latè diſperſa, fibroſa, ramoſa, fervida. Folia ſolari colore plumbeo donata, refentia Conyſam; Flores monopetali, multifidi, coloris purpurei, poſt flo-

rem sequitur fructus, qui cum calice primò fit corpus aculeatum, unde nascitur semen oblongum, medullam albam, & amaram habens. Crescit in regionibus calidis.

Nomen. Sic dicitur, quia folia plumbi coloris habet, & quia manus attrectantis hoc colore tingit, *Molybdæna* ob eandem rationem dicitur, nam græcè μόλυβδος *significat plumbum. Lepidius* veteribus vocatur, quia vires sunt eædem; *Dentaria*, quia radix dentem non solum refert, sed etiam Odontalgiæ convenit; putatur hæc quidem esse trifolium *Dioscoridis*, quam plantam alii Asterem esse credunt.

Vires. Fabius Columna dicit inesse virtutem, quod si inter equitandum dorsis equorum exulceratis folia imponantur, optimè sanare, & breviter aptos reddere sustinendis Ephippiis. Est summè aperiens hæc planta, sed nimis acris.

Jalapa.

Character. Radix crassa, longa, rotunda, resinosa, pinguis & carnea, sapore acuto incidente nauseoso, odore nullo, scissa in taleolos ad nos adfertur. Caulis crescit ad altitudinem quatuor vel quinque pedum, Flos monopetalus, Hippocratei-formis, duos habet calices unum alteri insistentem, superior cum flore decidit, quinquifidus est, alter exiguus remanet, & recondit semen nuclei ad instar.

Nomen Mirabilis ob pulchritudinem obtinuit; hinc gallis dicitur *Merveille & Belle-de-nuit* belgicè *Nachtschoon* & hoc nomen à pulchritudine floris accepit, qui vesperi se aperit.

Vires.

Vires. Foliis & radicibus vires insunt, folia contusa tumores frigidos dissipant, Radix recens ad unciam unam vel duas epota egregiè purgat hydropicos, in pulvere & in aquâ cocta ad eandem dosin eundem præstat effectum. Jalappa Radix sub hoc titulo in officinis habetur, imprimis quinta, ut hæc planta sit optima Autumno est effodienda, & sic in Umbra siccata & in arena deposita per multos annos servari potest; hinc in usus medicos effodatur circa finem autumni & exsiccatur, tum exsiccata in taleolos scinditur, & dicitur Radix Jalappæ, hoc est egregium purgans; purgat enim sine dolore, & ulla fere incommoditate, dissolvit, & heteroclytum virus ex sanguine pellit, hacque plantâ totus sanguis in aqua potest converti; inde fit illud memorabile medicamentum Resina Jalapæ, quæ si ad granum decem cum saccharo diu contrito detur, Hydropicum sanat; expurgat, omnes humores serosos, in Rheumatismo & Podagra convenit; hæc planta ingreditur in Electuario Hydragogo *Sylvii* & extracto Catolico & multis aliis.

Circæa.

Character. Radix repens, fibrosa, alba, longa, Folia Solano majora, & conjugata, Calix bifolius sit, fructus pyriformis, qui in duo loculamenta dehiscit, in quorum singulo semen hæret, Verrucam Hispidam referens, post florem fructus fit verrucosus

Nomen Antiquum dicitur habere à *Circe*, quia à Magis & Dæmones pellentibus adhiberi dicitur, sed non scio, an hoc hæc planta sit,

vel quia hujus plantæ fructus ſe veſtibus affigit, hocque modo homines ad ſe trahit, ſicut Dea Circe ſuis incantamentis facere ſolebat. Virtus adhuc non eſt cognita.

Agrimonia.

Character. Folia pinnata, nervoſa, rugoſa inſtar Pimpinellæ Flos roſaceus, hexapetalus, in ſpicam congeſtus, florem fructus ſequitur exiguus, qui binum vel ſolitarium ſemen continet. Radix perennis eſt, longa, mediocriter craſſa, nigricans.

Nomen. ab *ἀκίς acumen*, quia fructus agrimoniæ multa acumina habet; putatur veterum eſſe Eupatorium, ſed non ſcio, an verum ſit, Dicitur & *herba hepatis* flexione vocis ab *Hepatorio* quaſi, quod nomen huic videtur convenire, *Eupatorium à Rege Eupatore*, qui ejus uſum primo indicavit.

Vires. Tota in Medicina recipitur maximè prima, quæ egregiè odorata & ſuaviſſima eſt, hæc ut ſummum commendatur remedium contra melancholiam, Triſtitiam, animi affectus, ſi vino frigido infundatur, ut fragrantia vino modò communicetur. Optima eſt planta ubi roborandum & adſtringendum, tamen in imflammationibus convenit, Princeps eſt vulneraria planta. Recentia folia decocta & largâ copiâ hauſta contuſis egregriè audit; deducit brevi ad cicatricem arcendo ſuppurationem, commendatur maximè in morbis à laxis oriundis fibris, fluxionibus Caſtrenſibus, obſtructione viſcerum à fibrarum debilitate, egregia eſt quoque ad fluxum hepaticum curandum, ad Diarrhæas, Dyſenterias, omneſque

que tales morbos ſanandos, convenit quoties roborandum, laxum adſtringendum, & vires à laxitate perditas adſtruendas; contra ſcorbutum, gingivarum putredinem, inflammationem faucium, Phtyſin, ſanguinis ſputum eſt egregia planta, uti & in Hydrope & languore à febre teſtium tumores optimè reſolvit, externè folia ejus cum vino defecato & furfure cocta & parti luxatæ applicata proſunt, hinc videtis eſſe quaſi Medicamentorum principem, ubi eſt roborandum & exhilarandum. Utatur inſtar Thée, ſi ergo adſtrictio timeatur, mel addi poteſt, hæc herba hepati propria eſſe dicitur, quia ſi infundatur cum aqua vel ſero lactis, & ſic bibatur, aperit & detergit quisquilias inteſtinorum, & roborat; hinc hepati hinc inde multum proſpicitur, uſus eſt egregius in regionibus frigidis, conducit in morbo calido & frigido, externè prodeſt in uteri procidentia.

Agrimonioïdes.

Character. Facies ut Agrimonia, differt verò quod flos non ſit ita congeſtus, neque fructus ita hiſpidus, & non duo uti in illa, ſaltem unius.

Vires ſunt eadem ac in Agrimonia.

Gymnomonospermæ Flore compoſito Planipetalæ Pappeſcentes & lacteſcentes.

Flos compoſitus hic diſtinguitur à flore plano, diciturque is, qui ex pluribus aliis foliolis Petalum floſculoſum formantibus calice contentis conſtat flos, quos omnes denique

unus comprehendit calix. Dividuntur hæc in tria genera 1. Planipetalas, 2. Discoideas, 3. Capitatas. Planipetalus dicitur, quando flos totus ex minoribus componitur, qui omnes uni communi calici includuntur, & cujus flos ab interiori parte tubulosus est, superiori verò expansus, in lamellam flosculosam abit. 2. Discoidea quando flores componentes toti sunt tubulati 3. Capitatæ sunt, quando flores ex floribus perfectis constant, ita ut calix in ventrem tumidum assurgat, & flos superius exstat. Lactescens dicitur planta, cujus pars rupta sanguinem suum id est lac fundit.

Lactuca.

Character. Calix exiguus, compressus per maturitatem squamnosus, parte superiori minimus, dividuntur in sylvestres & sativas, sativæ verò sunt Capitatæ vel non, *Capitatæ dicuntur, quæ instar brassicæ folia habent involuta, ut caput quasi forment. Non capitatæ verò dicuntur, quarum folia, quasi projiciuntur licet adoleverint.*

Nomen. Habet à *Lacte*, quia Radices, folia, caules, flos & ramus ruptus ubertim fundunt lac candidum, paulo post flavescens, amaricans, virtus videtur ex facie lactis convenire succo.

Vires. Hæc planta apud Italos pro benignissima habetur inter omnes quas Deus creavit. lac verò illud si colligatur, & asservetur facilè concrescit in Resinam, estque lac semper amarum, nisi maceretur, sed tamen blandum, ab hoc sapore *Columella* laudavit hanc. *Galenus* dixit esse herbam Veterum sapientum, ubi scribit de viro melancholico, qui dormire non potuit,

tuit, hinc hodie plerumque veſperi propinatur in menſa. Nulla eſt herba quæ bilem atram plus ſolvit & benignius educit. Quarta & quinta ad Papaverem accedit; nam ferè perfectè meconium habet; hinc pro Opio ſumi poteſt, & hinc aliquis ſenex pervigilans inde placidè dormiviſſe dicitur. Veteres ea uſi fuere loco papaveris, & in cæna ſomnum placandi cauſa comederunt. Veteribus quoque hæc Quarta & Quinta venenum eſſe dicitur, quod mihi credibile videtur, nam cum aliquando de hac planta aſſumpſiſſem, inde maximè torpidus factus fui, nam agit ut Opium, lac harum plantarum concreſcit illico in meconium, cæterum omnes acutos morbos æſtivos ab exuſto ſanguine & bile curat, *Auguſtus Cæſar* quondam hac plantâ ab *Antonio* fuit ſanatus, unde *Poëta* canit.]

—— —— Auguſtum ſanaſſe dudum
Multi inter laudes hoc retulere tuas.

Veteres hanc plantam in fine cænæ adhibuerunt, nunc verò in cænæ inito ut *Martialis* eleganter canit.

Hæc tibi, non alia, eſt ad cænam cauſa vocandi
Verſiculos recites ut, Ligurine, tuos.
Depoſui ſoleas; affertur protinus ingens
Inter lactucas, oxygarumque liber.

Et alio loco dicit.

Claudere quæ cænas lactuca ſolebat Avorum
Dic mihi, cur noſtras inchoat illa dapes.

Puto hoc à veteribus ideo factum esse, ut appetitus excitaretur; postea verò Romani absque appetitu ad mensam accesserunt, hinc lactuca fuit primò proposita; quidam Germanus tamen hunc cibum primum videns interrogavit, quid sit? ipsi responderunt, hoc esse ad appetitum excitandum, tum postponatur, dicit, nam inpræsentiarum non opus habeo, detur mihi, postquam appetitum prius expleverim, tum capiam. Hæc planta emollit, inviscat, sopit acre, spiritus agitatos demulcet, succus perfectè est saponaceus, adstringens, refrigerans, resolvens, sic in acutis inflammatoriis morbis egregium, movet urinam alvum laxat ut *Martialis* hisce versibus expressit.

Utere lactucis, & mollibus utere malvis:
Nam faciem, durum, Phæbe, cacantis habes.

Cruda herba præstantior est coctâ, cui vis perit, stomacho inerti apta est, usus ejus optimus est, si folia magnâ edantur in copiâ, & iis superbibatur lac vel serum lactis cum ejus succo. Lac auget, semen est unum ex quatuor seminibus frigidis, valet ad Gonorrhæam virulentam, ad urinæ ardorem; unicum tamen habet incommodum a veteribus annotatum, quod nempe extinguat genituram & semen, hoc etiam mihi videtur verum esse, & in hac sententia confirmor, quia erat aliquis Princeps in Anglia, quæ valde huic herbæ indulgens nullos liberos per multos annos cum sua uxore procreavit, cum tandem quidam Botanicus apud eum ad mensam erat invitatus, ille vir videns eum tantopere lactucæ indulgere dixit, non est mirum te nullos liberos cum

tua

tua amata uxore procreare, cum tantum huic herbæ indulges, ergo tibi ſuaſor eſſem, ut non magis ederes, quod Princeps quoque fecit, & ſequenti anno uxor ejus prolem protulit.

Chondrilla.

Putavi hoc genus eſſe disjungendum à lactucis (ut à pleriſque Auctoribus factum eſt) quia genus lactucarum tam amplum, ut non poſſimus ſynonima invenire.

Nomen à χονδρὸς *cartilago*, *grumus* & αἱτέω *comprehendo*, *contineo*, eſt ergo planta grumum tenens nempe ad Radicem, at non puto verum eſſe, nam *Fabius Columna* dicit, quod in quacumque attingatur parte imprimis ad radicem, funditur, quod tempore calido illico exſiccatur, & fit grumus; hinc putarunt ſi terram accedit, grumum accreſcere, ſapor hujus lactis paulo amarior eſt lactucâ, cæterum braſſica in virtute convenit.

Chondrilla Tournefortii.

His potius hic nomen convenit, ut à *Tournefortio* ſic dictæ ſunt hæ plantæ, hinc dicitur *chondrilla Tournefortiana*, omnes veteres vocarunt lactucam excepta quarta & quinta. In his virtus ut in priori, lac hujus eſt omnibus amarior.

Chondrilloides.

Hæc modò à calice à Chondrillis differt, aliter omnimo convenit; hinc videtur ad chondrillas eſſe referenda hæc planta.

Sonchus.

Character. Calix magnus, ſquammoſus, cineritius, excavatus, tener, major quam in lactuca, in parte inferiori ſatior quam ſuperiori. Folia longa, molliora quam in dente leonis, ſemina oblonga cineritea, Radix minima, fibroſa, alba.

Nomen. A χέω *fundo* & ζωὴ *vita*, quia hæc planta optimum ſuccum pro inflammatonibus fundit.

Vires. Quarta & quinta in medicina recipitur, eſt aperiens, humectans, Antiphlogiſtica, in inflammationibus pectoris & hepatis conducit, lac puerperis auget, ejus Decoctum in inflammationibus inteſtinorum convenit. Radix hieme è terrâ exempta in oleribus adhibetur, ſi inter Ruſticos non præſens ſit lactuca vel Chondrilla vel Endivia, tum hanc plandam in eoſdem uſus adhibent.

Hieracium.

Character Eſt planta planipetala, pappoſa lac habens, Calix major, amplior & ſquammoſior lactucæ, per maturitatem non in conum, ut in Soncho creſcit, ſed explicatur, caulis ramoſus eſt, quo à Dente Leonis diſtinguitur, caules diviſi in ramos, floriferos, ſemina teriuſcula, cineritia. Radix longa, craſſa, carnoſa, ſimplex, alba ſuccum lacteum amarum gerens.

Nomen ab ἱέραξ *accipiter*, hinc dicitur apud Belgas herba accipitrina *habigskraut* gallicè *herbe de l'Epervier*, quia dicuntur hæ aves ut Aquila

quila acutie visus pollere, si verò fortè ab æstu aëris oriatur pellicula circa oculum hujus animalis, tum parens oculo ejus guttam aliquam hujus herbæ instillat, unde brevi sanantur, sed quod hic sub formæ fabulæ dicitur, id re verâ in hominibus obtinet, nam si quid crassi in oculum humanum injiciatur, convenit, si assumatur, visum acuit, & atram bilem pellit, virtus est ut in prioribus, nisi quod paulo plus amarescit, & multo melior est; ille succus qui ad solem nigrescit, & in aqua instar saponis solvitur, Gallis dicitur cichorei sylvestris succus.

Arbor Vitæ.

Thuya hic extra ordinem habetur, Folia squammatim incumbentia, ramuli compressi, conuli oblongi; folia fragrantissima. Balsamica est reliqua ut Characteres & synonima *in secunda parte Indicis pag.* 180. inveniuntur, folia & fructus hujus habent odorem graveolentissimum, ita ut torpidos homines agiles faciat, habetur ut summum Eminenagogum, hujus folia contrita vino infusa & sumpta egregiè menstrua provocant, ut & fætum susceptum expellunt; hinc inde oleum destillatur, quod est incomparabile, sed ob vim igneam adhiberi nequit, ejus spiritus & aqua stillatitia egregiè sunt contra affectus hystericos, ex foliis etiam balneum præparatur his, qui menstrua non habent; nomen inde venit, quia si cui in animi deliquio vel syncope jacenti vel Epileptico vel hysterico in paroxysmo folia contrita sub naribus teneantur, statim reviviscunt homines, vel in morbis frigidis etiam convenit,

cum ergo frigus sit mortis imago, uti & animi deliquium, hinc cum calefaciat, vitam quasi restituit; lignum est Diaphoreticum, cephalicum, conducit in morbis oculorum & aurium, si inde pulvis infusus assumatur. Thuya dicitur à θύω *suffio*, quia hæc planta penetrantem habet odorem, crescit hæc Arbor in *Canada*. Est planta aperiens & calefaciens unciæ duæ menses solvunt, pallidis virginibus prodest, cum melle contusa tumores solvit, unde Equisonibus est planta notissima, oleum laudatur ad dolores podagricos fricando partes, hoc instar ignis agit stimulando & aperiendo, pediculos & pulices ex stratis expellit.

Dens Leonis.

Character. Habitus Hieracii, distinguitur caule erecto, nudo, fistuloso, non ramoso, unum semper florem in fastigio gerente. Radix in plures ramos divisa, digitum minimum crassa, mollis, lactescens.

Nomen. Quia folia figurà quasi refert maxillam leonis dentibus instructam, dicitur etiam *Caput Monachi* quia post flores delapsos reliquum quasi caput calvum refert. Prima est planta, quæ à veteribus sub titulo Taraxici describitur, prima & secunda dicuntur belgicè *pissebedde* gallicè *pissenlits* quia urinam movent.

Vires sunt ut in Cichoreis, hoc à multis licet falsò contradicitur; medicus quidam in gallia nonagenarius, & qui vitam ita prolongasset, petitu Regis Galliæ respondit se tribus vernis mensibus horâ matutinâ tres libras Decocti Taraxaci cum Radicibus Graminis sumpsisse. Usurpatur sæpissimè in officinis tali mo-

do

do ℞ Taraxaci cum toto, tum flores, Caules, Radices & folia intelliguntur, lacte turget toto amaricante ſaponaceo, Radix eſt aperiens, hæc in decoctis verno tempore contra Scorbutum & Hydropem commendatur, alvum enim ciet, & urinam reddit coloratam abſque colore corpori inducto, ſuccus eſt amarus benigniſſimus, convenit in melancholia, ubi alvus eſt movenda, per magnam ſuam vim diureticam Renum ſabulum, mucum, calculoſam & purulentam materiam pellit, ejus lac paulo penetrantius eſt ac in Cichoreo; dicitur in morbis inflammatoriis, Peripneumoniâ, Pleuritide eſſe optima planta, reſolvit enim ſuâ vi ſaponaceâ neque multum ſimul movet, aqua deſtillata nullius eſt uſus, ſuccus expreſſus vel leniter decoctus & cum ſero lactis aſſumptus optimus eſt in Catharro, ut in retentione urinæ, colicâ nephriticâ; conſerva ex ejus ſucco conficitur optima, hujus herbæ ſuccus cum pauco ſale ſi vulneri fætidiſſimo inſtilletur ſanat, pus provocat, ad fiſtulas ſenandas conducit, uſus eſt in febribus putridis inveteratis, externè maculas oculorum abigit.

Arbor Mortis.

Sc dicta, quia folia ejus ſunt quaſi mortua, *Arbor triſtis* etiam dicitur, quia nunquam niſi nocte floret, & Solis ortu flores cadunt, & folia quaſi mortua videntur. Flores hujus arboris ſunt cardiaci, aliter ſunt adſtringentes.

Sabina Arbor.

Nomen. Belgicè dicitur *ſevenboom* non quod ſeptem folia habet, ſed à *voce ſabin ſeptem*; eſt foliis juniperi ſimilis, hujus character *in ſecunda parte Indicis pag.* 207. habetur; gallicè *ſabine.*

Virtus eſt eadem ac de *Arbore vitæ* dixi, per hanc plantam Scortæ latentes fætus clam expellunt, & habetur inter optima Emmenagoga ſi cum prudentiâ adhibeatur. Folia recentia contrita & ſale gemmæ & oleo miſta pro Cataplaſmate optimè inſerviunt in tumoribus Equorum, Ovium aliorumque, animalium, idem Cataplaſma bonum eſt in anchyloſi, in ſcabie præcipuè capitis infantum, ut & in maculis faciei abſtergendis conducit, in urina pellenda & aſthmate medendo eſt optima, in vermi umbilicali dicitur eſſe ſpecifica, ſi melle ſubacta folia infanti umbilico applicentur, hujus herbæ habetur oleum, quod in parvâ copiâ ſumptum brevi poſt urinam movet, & odorem ſuum urinæ communicat.

Scorzonera.

Character. Radix longa, ſimplex, craſſa, carnoſa, extus nigra, intus alba, tenera, ſaporis ſubdulcis ac grati, odoris nullius. Flos amplus, expanſus, Calix floris ſquammoſus valde, ſemina oblonga, plana.

Nomen ab *Eſcorſo* eſt *vox Catalonica* ſignificans viperam, quia dicitur valde valere contra morſus viperarum, applicatam enim herbam morſus viperarum reddere ineptos ſcribunt Auc-

Auctores. Alia Scorzonera ex Hispania ad nos transfertur, cui nostra viribus non planè convenit, caret enim virtute aromatica; nomen etiam forsan hic ortus est, quia vipera, si hoc succo attingatur, languet, & sic dicitur hominem viperas sine damno manu tractare posse, si manus locum hac herbâ tingatur, tum non mordere potest vipera, sed statim languet, sic novi, quod Pharmacopeus jubebat servo viperas adhuc vivas tractare, quæ in theriaca ingrediuntur; servus verò a viperâ morsus terra procubuit, sed Pharmacopeus illico hanc herbam contritam vulneri applicuit, uti & vipera, nam adhuc ad digitos manserat, hocque facto non tantum vipera cecidit, sed servus etiam fuit curatus, succus in morbis inflammatoriis assumptus optimè convenit. Succus ad uncias tres epotus jejuno stomacho horâ matutinâ contra omnia venena volatilia laudatur; eadem planta locis affectis applicata sanat vulnera venenata, optima est radix, qui vivax & perennis (antequam folia prodire incipiunt) effodi, in aëre rarefieri, & in arena servari solet; in omni morbo, ubi id quod nimis movet, est inviscandum, & demulcendum, convenit, uti in omnibus morbis, ubi sanguis est putridus, ut in Variolis, Morbillis, Peste, Febre ardente, Peripneumoniâ, Pleuritide datur, Radix egregiè temperat, & expurgat, hinc in morbis hypochondriacis optimus est ejus usus, si cum aquâ hordei decoctâ in mortario marmorio radix contundatur, & tum succus per linteum exprimatur, est optimum medicamentum, nam si Radix decoquatur, tum omnis vis resolvens & nutriens perit; in culinis recipitur, divitumque mensas ornat; in me-

Melancholia, & in doloribus podagricis est optima, sunt qui mensium profluvio cum successu adhiberi velint. *Monardus* de ejus virtute integrum librum conscripsit, inter Alexipharmaca & Theriaca habetur, Nulla est herba magis laudabilis quam prima, secunda & Tertia, in Phtysi, macie & Ictero conducit. Belgicè dicitur *vergift kruyt*, *slange wortel.*

Tragopogon.

Character. Radix plerumque annua, carnosa, digiti minimi crassitie, succulenta, intus albe, extus nigra, edulis, saporis subdulcis ac grati. Folia altera graminea longa, Crocum referentia, sed magis ampla. Calix oblongus in multas lacineas divisus, quæ adeo longæ sunt, ut ipsum florem recondant, non tamen est squammosus; crescit in paludibus & locis aquosis.

Nomen. à τράγος *hircus* & πώγων *barba*, quia semen pappofum calice adhuc inclusa referunt barbam hirci, vocatur etiam sassifrica, à saxifraga, & barbarè sersifi.

Vires. Eædem sunt quam in Scorzonerâ, paulo tamen debiliores, nutrit blandissimè; hinc culinis adaptatur; virtus specifica censetur contra Pleuritidem seu calculum Renum & Vesicæ, vias expedit & emollit, unaque demulcet, Phlegmata optimè maturat; hinc in Astmate Anhelosa est egregia.

Zacintha.

Character. Flos relinquit calicem, qui constat quasi foliolis fistulosis, post singulum tale
folio-

foliolum manet unus fructus in capitulum congestus. & pappa quodammodo instructus. Calix est Octofillus, & in hunc iterum habetur calix octofillus, & tunc quodcunque foliolum floris habet sibi subsequens semen. Radix est longa, fibrosa.

Nomen. à *Zacintha insulâ in mari Egeo* seu *Mediterraneo* quæ *Zacinthos* dicitur, vulgò vocatur *Cichoreum.*

Vires. Veteres dixerunt, quod hujus plantæ folia verrucis applicata sanat, sed non credo plus verrucas necare, quam Acetaria, si Radices contritæ his applicentur, tum quidem sanat aliter non, vocatur etiam Verrucaria ob hanc causam. Dicitur Cichoreum verrucarium Matthioli, quia simillimum est Cichoreo.

Scolymus.

Character. Habet calicem trifillum non admodum fugacem, Folia instar Cardui, uno calice quidem obsepti, sed ita ut singuli flosculi folio singulari inter se distinguuntur. Radix est longa, digiti crassitie, tenera, succum lacteum habens, saporis subdulcis & grati, crescit in germania & dicitur belgicè *swindistel*, quia porcis pinguedinem conciliat, unde *carduus porcinus votatur.*

Nomen. à σκόλιος *asper*, quia hæc planta multas asperitates habet, ut folia cardui, *Chrysantemos* dicitur à χρυσὸς *aurum* & ἄνθη flos, quasi diceretur flos aurei coloris.

Vires. Radix verno tempore jusculo incocta pro benigno nutrimento inservit, decorticata radix cum aceto & oleo assumpta purgat.

Ce-

Cichoreum.

Character. Folia alterna valde lactescentia amara, sæpe incisa, aliquando non, villosa, caulis intortus, crassus, circularis, villosus, ramosus, excavatus, Radix annua, longa, digiti crassitie, alba, calix floris totus maturus redditus, valde est compressus, oblongus, squammosus atque instar vasis cujusdam recondit semina angulosa instar cunei in parte supremâ excavata, alba.

Nomen. est *Ægyptinum*, vel græcè à κιχέω *invenio*, quia ubique inter deambulandum invenitur; *Plinius* dicit *Intybum* in *Ægypto* Cichoreum vocari, quod sylvestre sit, lib. XX. cap. 8. prima, secunda, & Tertia dicuntur *Endivia.*

Vires. Hæc planta est succo lacteo plenissima, succus est sapore nitrosus, amarus, non inflammans; hinc generales vires sunt laxare, aperire, emollire, stimulare, ergo non gratior est herba ad obstinatam alvum excitandam abque ventris torminibus, dein ad pituitam, in omni morbo inflammatorio, ut variolis, Morbillis valde, ad prima initia Hypochondriacorum & Podagricorum, & Hecticorum est pabulum optimum, datur enim in cæna & prandio, herba sola est antiscorbutica, expellit egregiè pus, & sanguinem abstergit, folia in sero lactis cocta egregiè sanguinem mundant, Diuretica est plane & Renibus amicissima, licet aliis ob amarorem videatur esse calidissima, In Angina, nimiâ siti, febribus, Hepatitide conducit; Hortulani ligant folia, tum emollita evadunt suavia & edulia, sed tum virtute quan-

quantum de ſapore amaro recedit, tantum de virtute amittit, hinc herba viridis modò eſt optima. Hæc planta cruda eſt optima, nam coƈta multum de ſuâ virtute amittit, ſuccus ſi ſit coquendus, tum id fiat Ollâ clauſâ & paucâ aquæ copiâ, per breve tempus, ex floribus conficitur aqua, & ſucco ſyrupus, qui hyeme in uſu revocari poteſt, ſyrupus de cichoreo diƈtus, qui purgat, optimumque eſt Medicamentum, ſi Rheum addatur, tum vocatur ſyrupus de cichoreo cum Rheo, ſuccus recenter preſſus, & depuratus ſervari poteſt pro tempore hyemali, tum præbet remedium adbilem ſolvendam. Hæc planta in Clyſteribus, Decoƈtis, Ptiſanis adhibetur, ſuccus cichorei eſt optimus in exſpeƈtoratione provocanda, Conſervæ florum hujus plantæ ingrediuntur in Opiatis Aperitivis, quæ optimè in Cachexia; Podagra, Hydrope, uti & in febribus intermittentibus conducunt, Mirabile verò eſt, quod flores in umbra leviter ſiccati & cum ſaccharo coƈti ad viſus vitia ſunt optimi, imprimis ſi morbus à torpore, ut Crollius, & Hartmannus dicunt. Cichorei ſylveſtres purgant, & omnes putredinem arcent, & per amaritiem inſeƈta à ſe pellunt, hinc ad vermes necandos proſunt, ſuccus vis ſaponacea pollet, optimè viribus cum Laƈtuca & ſcorzonera convenit, ſed parum eſt acrior.

Catanance.

Charaƈter. Diſtinguitur à priori, quia calix ſquammoſus format capſulam pluribus repletam ſeminibus, ſemina ſunt exigua ſed capitulo folium inſtruƈtum, Radix longa, craſſa, cinerea. Folia rugoſa ſaporis ingrati.

Virtus nulla eſt nota.

Rhagadiolus.

Character. Folia ſunt longa, ampla, ſinuoſa, villoſa, Calix ſquammoſus, continens floſculum ſemi floſculoſum, cujus ſinguli floſculi abeunt in vaginam oblongam, continentem unum ſemeu, hæ vaginæ ponuntur ad finem caulis ſtellæ inſtar.

Nomen. Sic dicitur forſan à *fiſſuris aridis ani, vulvæ, manus*, ut in hyeme fiunt, quas fiſſuras curare dicitur hæc planta, unde nomen venit, *Gaspar Bauhinus* eam vocat *Hieracium foliatura ſiliquoſa*,

Hedypnoïs.

Character. Videtur eſſe ſimilis priori, quia idem calix eſt, ſed fert fructum meloni-formem, qui diſſilit in duo ſemina, ſibi invicem conjuncta, exteriora plus ſunt expanſa quam interiora.

Nomen. ab ἡδὺς *ſuavis* & πνόος *ſpiritus*; quaſi *herba ſuave ſpirans*, ſed unde hoc nomen dedere, neſcio; nam odor non adeſt, vires fere eædem ut in Cichoreo.

Hyoſeris.

Dicitur etiam *Endivia* & *Cichoreum Porcinum*.

Virtus ut in Præcedenti.

Lampſana,

Character. Habet folia ſoncho levi æmula, ſed latiora, calicem involventia, mollia, villoſa, ſemina in involucro contenta, longa, Monophylla diviſa, in puncta deſinentia, nigricantia, Radix ſimplex, fibroſa, alba; hæc planta ſuccum lacteum gerit.

Nomen. Lampſana à λαπάζω *evacuo*, quia hæc planta comeſta alvum laxat. Vocatur etiam *Papillaris herba*, quia in fiſſuris mammarum vel papillarum optimè conducit.

Vires ſunt eædem, quæ in prioribus Spinachia lactucæ, ut pro illis ſumi queat, valet contra omnia dolentia ulcera, eſt planta fragrans adhibetur ut Lactuca tam in oleribus quam in Acetariis; detergit & diſſecat, externè in unguentis, fomentis & Cataplasmatibus adhibetur.

Gymnomonoſpermæ Diſcifloræ Radiatæ.

Flores floſculoſi ſunt, quibus flos totius componitur ex parvis floſculis, qui iterum ſunt perfecti, qui ab infima parte ad ſuprema uſque ſunt fiſtuloſi, Diſcoideæ, quia in medio flore habent quaſi diſcum quemdam, qui habet hos floſculos fiſtuloſos, radiatos, hi ſunt vel radiati vel nudi.

Diſcifloræ plantæ ſunt, quæ habent florem ex floſculis multis compoſitum, ſed tamen unus quiſque floſculus habet ſuum ovarium cum ſemine contento. Flos Diſcoideus radiatus habet in medio diſcum, ſed petala coronantia diſcum inſtar circuli expanſi, Diſcoidei nudi

nudi etiam ſunt, qui nudum gerunt diſcum. Diſcoideæ Radices ſunt, & à *Rajo* in duas dividuntur claſſes, pro ut ſemen eſt papposum vel non, nam poſt ſingulum floſculum habet ſemen, cui inhæret floſculis iterum parte etiam inferiori hærent in vaſe, quod thalamus vocatur, ſemina ſunt vel papoſa vel non papoſa, & tunc dicuntur ſolida, quæ *Rajus* tum vocat Corimfera, quia corymbi inſtar propendent. Radiatæ dicuntur, ubi calix eſt communis unamquamque placentam habens, quæ pertuſa ſunt tot foraminibus, quot ſunt floſculi; ex his foraminibus emittitur ante floſculum ovarium. Hic floſculi Interiores ſunt tubuloſi, exterior verò ſeries eſt planipetala. Diſcum, quia flos diſcum ſeu orbiculum quaſi refert. Radix dicitur ſeries externa floſculorum.

Aſter.

Character. Flos ſemi-diſcus, perfectus, floſculoſus, marginem habet, majoribus ad finem expanſis fiſtuloſis planis conſtantem, ſemen poſt ſingulos floſculos una pappa inſtructum. Folia oblonga, villoſa, ſaporis amari & aromatici. Radix eſt fibroſa, acris, amara, aromatica, extus fuſca, intus pallida, pingis.

Nomen. A græcâ voce ἀστὴρ *ſtella*, quia florem habet foliolis ſtellæ modo radiatis *teſte Dioſcoride*, dicitur *Helenium* quaſi *flos ſolis* ἕλιος *Sol* vel ab *Helena Priami filia. Rapinus in ſuis quatuor hortorum libris* ſic cantat.

Miſcebitque ſuos tum demum utrique colores,
Flos Helenæ illius, totum quæ tanta per orbem,

Tam

Tam magno Europæ atque Asiæ repetenda tumultu,
Tot conjuratis incendia moverat armis:

Vires. Si Folia, flores, Radices, calix gustentur, acrimoniam aromaticam amaram penetrantissimam habent, sed non ingratam, husque virtus se brevi effundit per totum corpus; sic ut in morbis frigidis brevi calorem suppeditet, & laxum roborat; Radices & folia in usu sunt, si Radix hyeme effossa, dissecta, & in loco umbroso suspensa leniter exsiccetur, tum saporis fit penetrantissimi aromatici, egregiæ virtutis, oleum & sal acerrimum possidet, dicitur & *Pater Stomachi*, quia in omni morbo pituitoso aquoso, lentove ventriculo succurritur plus quam ab alia ulla planta Optime conducit, si uncia una in scobem rasa in vino assumatur, vel masticetur in pulverem, in infusis atque Decoctis extractisque præscribitur, inde etiam paratur vinum medicatum optimum, Radix in pulverem contusa & melle adhibita pellit lumbricos, datur etiam instar potus Thée, pillulæ inde formatæ assumantur octo vel novem quotidie in scorbuto lento post severam hyemem, ubi sanguis stagnans corrumpitur, & membra sunt rigida, in passione hysteria conducit, pellit menstrua, si oriatur morbus à fibris torpidis; in colica, astmate, scabie, cachexia, tremore membrorum, tussi, & paralysi prodest; contra venena habetur Alexipharmaca, hinc Diaphoretica, Sudorifera, folia recens carpta contusa & in cataplasma redacta tumores discutiunt. Radix hyeme circa plenilunium fossa imprimis in usu est. Vinum Enulatum vel Helenatum pro sto-

ſtomacho eſt optimum, Icterum curat, & urinam pellit. In unguentis hac planta adhibetur pro ſcabie ſimilibusque morbis. Hoc vinum medicatum convenit in Hydrope, & febribus Quartanis Radix etiam condita eſt optima. Duodecima & decima tertia in uſu pariter ſunt, hæc planta eſt ſale nitroſo penetrante abundans, à piſcatoribus nautiſque maximè expetitur, ut torporem expellent ſcorbuticum, quem diuturnâ navigatione ſibi acquiſiverunt, laudatur eoſdem in uſus ac Helenium, hujus etiam folia in Chirurgia recipiuntur, ſi nempe contrita cum vino & ſale vulneri apponantur, mirificè depurant.

Laurus.

Flores ſunt monopetali pelvi-formes, quadrifidi aut pentapetaloides, plerumque nudi, ſtaminibus quaſi ramoſis & bracteatis conſtantes, ſub cortice exteriori tegumentum corneum ſeu durum hæc Arbor habet, folia ejus ſunt odoratiſſima & ſemper virentia. Regia Laurus, olim cinnamomi *arbor dictæ* baccæ dentur in hydrope, at fervidæ ſunt, nam inſtar ignis fauces adurunt, in parvâ adhibentur copiâ ad ſtomachum roborandum, ex iisdem maturis fit oleum eas comprimendo, vel coquendo, ad membra frigida vel ſtupida reſtituenda, aliter nil de ejus virtute prædicatur, ſed tamen folia commeſta producunt ingentem copiam ſalivæ; hinc procul dubio alia vis medicata ſuberit.

Juni-

Juniperus.

Hæc arbor est tortuosa, lignum durum, compactum. Folia oblonga, non ampla, angusta nec magna, dura, terna, acuminata, semper virentia. Baccæ rotundæ per maturitatem nigricantes, includentes sub tenui pelliculâ pulpam, acinos tres oblongos, triangulos, sapor subdulcis, subacris, adstringentis & resinosi, odoris fragrantis. Crescit in regionibus calidis.

Nomen à *junior & pario*, quasi *junior pariens* quia hæc arbor novos fructus pariunt, dum aliæ bæccæ maturescunt.

Vires. Hæc arbor succum dat Resinosum, calidum diureticum, per incisionem arboris exstillantem; baccæ excellunt in urina promovenda, sudore, ventriculi flatulentia, in colica, tussi inveterata, Dolore nephritico, mensium obstructione, calculo præcavendo. Hydropicis singulariter conveniunt ob virtutem stomachicam & diureticam. Lignum est sudoriferum, hujus decoctum sanguinem depurat, & transspirationem insensibilem adauget, ut lignum Guajacum, balneum ex hoc ligno factum Podagricis conducit; summitates in vino coctæ sunt valde Diureticæ, & Hydropicis prosunt *teste Hartmanno*, pilulæ inde cum aloë factæ hisce morbis conducunt. Ex succo è foliis pressa fit Rob juniperi, quod optimè convenit, ubi detergendum, roborandum, nec interim tamen nimis calefacit, fit inde oleum penetrantissimum, quod urinam colore & odore suaveolento afficit; Ex baccis præparatur ille potus Juniperus à multis tam amatus,

& in quo multi nostrates tam debacchantur. Oleum ex baccis maturis expressum & destillatum est Theriacam germanorum & tanquam prophylacticum summum adhibetur. Arbor valde resinosa est, cujus oleum mirifice unitum est ad aperiendum & stimulandum, Rob juniperi ad unciam unam optimè & blandissimè alvum laxat, Decoctum est sudoriferum, unde in peste laudatur, Diureticum est & uterinum, singulare ad cienda menstrua, calefacienda corpora frigida, in Hydrope, pituitæ Abundantiâ, & scorbuto universalis est planta, Rob ad unciam dimidiam diluitur in aquâ vel cerevisiâ.

Taxus.

Character. Folia molliora saturo virore prædita pectinatim circa ramulos disposita, Lignum durum, cineriteum, baccæ sunt molles cineriteæ, succum gerentes, excavatæ, semen habentes.

Nomen à τόξα *venena* quia hæc arbor olim venenum conficiendo inserviebat; crescit in regionibus calidis. Lignum elegantissime est coloratum, & habetur ad bacilla conficienda. Baccæ dysenteriam & febrim creant. Hæc arborob vim detersivam veteribus fuit notissima, nam si assumatur, omnes inde moriuntur. Olim pro venenata habebatur planta, sed hodie homines melius edocti passim hanc arborem in hortis pro ornamento colunt.

Virga Aurea.

Character. Flores ut Aster, sed minores cau-

caulium suprema fastigia floribus abundant, qui quasi in spicas colliguntur, quæ rursus in adunatam quasi virgam conjici solent. Folia sunt longiora, nonnunquam latiora. nonnunquam breviora, omnia tamen serrata & à se invicem non multum distantia, Radix est fibrosa saporis aromatici. Crescit in locis montanis & humidis.

Nomen. Quia caulis hujus plantæ virgam refert & flos aureum colorem habet.

Vires. Est tam acris hæc planta, ut nullum Piper ei comparari possit, sed tamen nullum acredinis vestigium in ore relinquit, sed per totum corpus pergit, similis est Ranunculo urenti, qui in Officina habetur, sapor est modicè roborans vel parum adstringens, primò non ingratus, sed dein ingratum saporem in ore relinquit, folia in usu sunt, quæ Mense Maji collecta in umbra siccantur; Flores Augusto colliguntur. *Barclejus* in Satyrico ait, horum foliorum siccatorum & pulverisatorum ope curasse clarum virum à calculo, cui ren suppurabatur, & ad quem tanquam legatus missus erat. Hæc planta data ad quatuor uncias est vulneraria, si unciæ tres hujus plantæ in aquâ maceratæ hauriantur, tum suppuratio ad cicatricem deducitur; in nimio sanguinis Hæmorrhagia, colica nephritica, Dysenteria, Dyarrhæa, convenit, vulnera depurat putredinem gingivarum abstergit, dentiumque vacillationem curat, ulcera maligna & fistulas mundificat. Sæpe ipse dedi cum magno successu in omni putrido lento, & frigida Diathesi, estque egregiè roborans & detergens, folia rité exsiccata instar Thée infusa addito melle potentur in ulcere pulmonum, pectoris & aliis

vulneribus. Est planta Canadensis, ut *Tournefortius* dicit, licet per tota Europam sit communis, quod inde factum est, quia semina huc allata se per totam Europam diffuderunt, & sine ulla difficultate crescit, nam semina à vento agitata & in terram delapsa statim germinant, summum est remedium in decoctis, hinc in pectoralibus utuntur, expurgat enim maximè renes, si in his hæserit sabulum Nephriticum sive calculus ipse.

Morus Arbor.

Character. Lignum est durum, intus flavum; Folia oblonga, ampla, serrata, dura, saporis subdulcis & viscosi; Bombycibus pabulum inserviunt; Fructus niger, succum viscosum dulcem habens, & pluribus foliis squammatim incumbentibus constans.

Nomen à μαυρὸς *niger*, quia ejus fructus ordinariò est niger.

Vires. Fructus ante maturitatem sunt detersivi & adstringentes, & optimè conducunt Anginis aquosis in Gargarismate; maturi sunt humectantes, emollientes, & aperientes, excitantes exspectorationem. *Bartholinus* dicit, has fructus in Scorbuto esse optimos, & inter Cardiacos haberi, convenit potus diamori, ubi putredo & alcali prædominantur, fructus solvunt alvum, sitim sedant, & appetitum excitant. Immaturi fructus conveniunt in Diarrhæa, Dysenteria, in omnibus fluxibus, fluxu menstruo, exputitione sanguinis, in ulceribus. Folia sunt Emollientia, & sola vel cum cortice in gargarismate odontalgiam sedant; Cortex Radicis est detersivus, adstringens, alvum laxans,

laxans, aperit, & tineas latas enecat; ex baccis fit ſyrupus diamororum, qui datur in morbis calidis exſiccantibus; folia præbent pabulum bombycibus.

Doria.

Prima & ſecunda dicuntur herbæ Doriæ, quæ inter plantas numeratæ virtute vulneraria commendantur, & pro ſolidagine ſaracenicâ habentur, ut ſecunda quoque eſt, quod nomen à virtute habet, vires ut de Virgâ aureâ dictæ ſunt belgice *Heydenswindkruyt*. Tertia ſolet commendari quaſi eſſet planta miras virtutes poſſidens, dicitur & Conſolidago, quia vulnera conſolidat, deque ea multa apud Scriptores bellorum Saracenicorum prædicatur. In vulneribus foliorum ſuccus adhibetur magno cum ſucceſſu. Decima quinta ad Jacobæas potius eſt referenda cum aliquâ reſtrictione.

Jacobæa.

Character. Calix eſt amplus Cylindricus, multifidus ſat expanſus. Caulis diviſus, altus, durus, circularis, excavatus, lanuginoſus. Folia oblonga, inciſa, ſaporis adſtringentis; Radix fibroſa, alba, reliqua cum prioribus conveniunt, creſcit in locis humidis.

Nomen. à *Sancto Jacobo*, ut *Johannes Bauhinus* dicit *in libro ſuo de plantis*, quia dicitur creſcere circa *ſacellum ſancti Jacobi in Hiſpania*. Belgicè *Jacobskruyt* vel *halskruyt*.

Vires. Prima, ſecunda, & Tertia in Oriente commendantur ad vulnera & contuſiones in cataplaſmate redactæ, quia à putrefactione

præservant & citissimè consolidant. Folia sunt amara, aromatica, adstringentia, est planta vulneraria, Emolliens detersiva, resolvens in Erysipelate optimè conducit. Decimam *Johannes Bauhinus* laudavit ad morbos gutturis & faucium; Homines superstitiosi hanc petebant plantam ad ædes *Sancti Jacobi*, & aliquid divinum in eo ponebant, quia sanabantur, sed nil minus, nam idem erit, ubi crevit, cæterum ad humores resolvendos convenit. Decima tertia in lacte contusa gutturi exterius apponitur, vel Decocta & expressa usurpatur ad guttur depurandum, tum & ad abscessus depurandos, commendatur imprimis in Angina.

Anemonospermos

Character. Calix est crassus & valde squammosus, flos, ut in Jacobæa discoideus, radiatus, semen tomento papposo ornatus, est ut in semine Anemones.

Nomen ἄνεμος *ventus* & σπέρμα *semen*, quia ventus facilè fert semen.

Vis est amara ut Cardui.

Doronicum.

Character. Radix maximè implicata & inflexa, alba, oblonga, rotunda, tuberosa, nodosa, digiti minoris crassitie ex viridi pallescens, plus ex uno capite tenuibus quasi filis dependens, saporis subacris, subdulcis ad Glycyrrhizam accedentis, odoris nullius; minorem habet dulcedinem quam Gycyrrhiza, sed saporem magis aromaticum, & scorpionis figuram. Caules in supremo singuli floriferi,

præ:

præ magnitudine parum ramoſi. Calix eſt pelviformis, petalus ad baſin diviſus, radiis longiſſimis diſcum ſuperantibus ornatus, flos Aſtere major, flavus, ſemen papposum, minimum, nigricans. Creſcit in montibus.

Nomen à *græca voce* δορὸν *palma* & νίκη *victoria*, quaſi *corona triumphantis*, alii ab *Arabicâ* voce dictum eſſe volunt.

Vires. Auctores adſunt, qui dicunt hanc viribus medicatis eſſe laudabilem, ut Radices, folia & flores in magnis Alexipharmacis recipiantur; alii è contra audacter venenatam plantam eſſe dicunt, quod triſtiſſimo conſtitit experimento. Clariſſimus enim *Geſnerus* virium plantarum maximus indagator litem compoſiturus mane jejuno ſtomacho hanc aſſumpſit plantam, duas horas poſt aſſumptionem litteras ad amicum ſcripſit, ſe adhuc bene valere ab aſſumptione hujus, ſed ex ſecretis litteris intellectum eſt, eum unâ horâ poſt exarationem litterarum inde ægrotum factum & mortuum eſſe, vide *Epiſtolam Herb.* 2. *epiſt.* 20. adeo ut meritò inter venenatas herbas recenſeatur. Diſſertatum antea fuerat, an Doronicum deberet in Theriacis recipere, nec ne, *Mathiolus* illud aſſerebat, nullamque vim venenatam habere dicebat.

Tuſſilago.

Character. Radix tenuis, longa, candida, repens. Flos radiatus, diſcoidæus, numeroſiſſimus, barbulis conſtans citiſſimè caducus, qui inſident ſemine papposo, flos eſt ante folia; præcox menſe Martio vel Aprili erumpens. Radix eſt ſaporis ſubacris cum levi lentore,

odoris nullius. Folia ex radice erumpunt: magna, ampla, angulosa, circularia ferè, supernè viridia, infernè alba. Crescit in locis humidis ut circa mare, & flumina.

Nomen. *Tussilago* à *tussi*, quasi tussi mederetur, ut & *Bechion à βὴξ tussis*, *ungula caballina* vel *calceum equinum* vocatur, quia calceum seu pedem equi refert. *Farfara* seu *Farfarella*, quia folia hujus plantæ referunt populum albam vel quia folia farinam aspersam referunt, secunda propriè *Sinecium folio rotundo* esset dicenda, quoad florem, quem vidi, anno milesimo Septingentesimo decimo septimo, sed cum vix per viginti annos floret, hinc huc retinemus, belgicé dicitur *huyskruyt.* Dicitur etiam *filius ante Patrem*, quia mense Februario & Martio foliis nondum egressis repenté floret, floresque fugacissimos ultra biduum ferè cum caule non perstantes profert.

Vires. In re medica folia, flores, Radices, caules & fructus usurpantur, cruda, infusa, decocta, spiritus, succus, quo tabellæ parantur; aroma est laudatum, penetrans, calefaciens ac leniens, incidit ergo quod crassum pituitosumque continetur in pulmonibus, in tussi, Tabe, & Pleuritide convenit, si tussi Astmatica hac causâ oriatur, optimè hac herbâ tollitur, Medici Angli testantur se curasse plurimos laborantes sua tussi, si succus hujus herbæ cum saccharo edulcoratus assumatur. Vel si ejus folia cum floribus & summitatibus Hyssopi & una uncia passularum incisarum decocta melle edulcorentur, quod optimum est Decoctum in Orthopnæa & Astmate, in Phtysi & ulcere pulmonum vel aliorum viscerum, ut & in vomica pulmonum, item in Ca-

tarrhis

tarrhis à salibus acribus. *Boyle* exploratissimum esse, inquit, in Phtysi remedium, si folia exsiccata loco Thée assumantur, vel exsiccata flore sulphuris & succino mista loco Tabaci adhibeantur. Astmatici hujus foliis loco Tabaci in fistula Tabacaria utuntur; *Dioscorides* in hisce morbis vaporem horum foliorum in aqua coctorum laudat. Folia & flores in decoctis pectoralibus adhibentur, ut & in Eclegmatibus ad exspectorationem, Folia recenter in mortario contrita & cum duplo sacchari ad ignem cocta egregiè conducunt in Phtysi, Renibus exulceratis, Gonorrhæa ulcerosa diuturna, malis Stomachi ex pituita ortis, hæc planta habetur pro Alexipharmaca, quia assumpta sudores ciet, foliorum fumus haustus per fistulam à *Boyleo* commendatur in Phtysi & Catarrhis salsis. Externè folia ulceribus & inflammationibus recentia imposita conducunt, succus per aliquot dies epotus quartanam curare dicitur.

Carlina.

Character. Radix sat crassa, cauliformis, fibrosa, ut plurimum in superficie cariosa, & foraminulenta, coloris foris rufo, intus albido, adoris gravis & fragrantis, saporis acris. Folia aspera, aculeata instar Carduorum, longa, ampla, incisa. Calix multis expansis aculeatis foliis Cardui constat floris discus sat patulus, constans flosculis fistulosis; radiatus ita, ut petala plana sint & secundo sterilia, semina post singulum florem sunt in apice vel papposa vel emissis radiis penicilli modo coronata foliolis exiguis à se mutuo dissectis, sapor radicis

est penetrantissimus Aromaticus, & idem, ut de prima Valeriana phu dictum est eadem hic conveniunt.

Nomen. *Carlina quasi Carolina à Carolo Magno*, cui dicitur hanc herbam fuisse monstratam in somno, cum ejus exercitus affligaretur peste, dicitur etiam *Leucacantha* à λευκή *alba* & ἄκανθα *spina*, quasi *spina alba* vocatur etiam *Chamæleon*, quia ejus folia colorem mutare apparent, sicut Solis radii in ejus foliis sunt positi.

Vires. Radix initio martii collecta & in umbra siccata habet subtilissimum aroma acre; foliorum contusorum succus expressus, & melle edulcoratus & ad uncias duas haustus cum vino in peste conducit, conditur aceto & melle edulcoratur, vel instar Coffé sumitur. *Paracelsus* & *Helmontius* multa de hac planta fabulantur, mira dicentes, quod si succus bibatur, nimis obrepat somnus, vel si unum granum seminis gustetur, nunquam fatigatur homo, si sellæ supponitur, non dormitur, arcet Diabolum. Legitur *in libro Tobiæ* [qui a Romanis inter libros canonicos habetur, à nobis verò non recipitur nisi inter Apogryphos, nec quoque à Judæis agnoscitur quod Sara obsessa fuerit à Dæmone, qui omnes ejus septem maritos necaverat, tandem verò *junior Tobias* jussu Angeli piscis Hepar in carbones ardentes posuit, & simulac Diabolus illud subolfecit, avolavit in Ægyptum; puto hic describi passionem hystericam hujusque similes morbos, qui vi calidâ & fætore auferuntur. Hæc planta est emmenagoga Antispasmodica, Diaphoretica, Aperiens, Alexipharmeca, Diuretica, in hystericis, quibus odor non est infensus mirè conducit, lumbricos necat

necat, potenter movet fudorem, eoque nomine Herpetem cutaneofque aff. ctus ex fundamento curat, per ipfum enim fudorem expellit acidum illud corrofivum Herpetis. Commendatur etiam ejus decoctum ad morbos Hypochondriacos, jungitur Pyrethro ad Paralyfin præcipue linguæ, raro à medicis præfcribitur ob ejus ufus ignorantiam; *Hofmannus* hanc plantam aliquando vomitum moviffe dicit

Corona folis.

Character ut in omnibus folia lobata, ampla, magna, ut folia Bardanæ. Calix eft multifidus profundè diffectus, & in plurimos lacinias divifus. Flos difcoideus, radiatus, ampliffimus, flavus, orbicularis, coronam referens, radii admodum funt ampli. Petala lateralia coloris aurei ad fines acuminata, in medio difcus amplus, cujus flofculi foliolis exiguis innati diftinguuntur, femina difco inhærent, ita ut fingula calicem quafi habeant fingularem ex foliolis contextum, femina plana funt, & quafi binis corniculis inftructa. Quædam in hac familia dicuntur flore pleno feu flore duplici *dubbelde bloemen*, his ovariis pereunt, fi verò flos effet ex natura difcordei, tum non effent pleno flore, fed hic difcordei ob luxuriem abeunt in flores planipetalos, hincque dicitur flore pleno.

Nomen. Corona folis, quia ejus flos quafi coronam repræfentat, femperque curfum Solis fequitur, vel quia Solem repræfentat, pro ut pictores eum pingunt, *Helenum* ab ἥλιος *fol*, *herba maxima Johannis Bauhino*, *Chryfanthemum*, *Judicum maximum Hermanno.* χρυσὸς & ἄνθος *flos aureus.*

Vires. Septem priores ex India allatæ habent

discum orbicularem, quandoque ad sexdecim pollices in diametro accedentem, qui in India est edulus eodem modo ut hic cinara *Artissocke.* Disci quoque sunt Aphrodiaci & commendantur apud auctores ad libidinem excitandam. Semina sata aviculis nutrimentum præbent, qui hæc è terrâ effodiunt, hinc vitro debent tegi, possunt inservire frumenti instar in ejus inopiâ; attamen magis sunt oleosa. Indi sumunt caules & instar asparagorum comedunt, bulbi radices quoque edules. Octava & nona quoque sunt Indicæ & habent tubera ad radicem sub terra, ut discus cinaræ, hocque modo utitur & in divitum mensis ponitur. Prima radicem habet tuburosam, quæ tubera sunt edulia, dicunturque semen augere, adeoque in eum finem ab Indis in usum vocantur. In Virginià à semine panis & panatella pro Infantibus conficiuntur.

Chrysanthemoides.

Primo forsan erit medicata, nam odorem balsami peruviani refert, sed ejus vires nondum explicatæ, hæc inter balsamos vulnerarios imprimis pro artubus rigore contractis refertur.

Asteriscus.

Character. Calix floris stellatus foliolis, cingitur pluribus longitudine superantibus ipsum florem. Semina nec papposa nec foliacea, sed planè tenuia, striata, ut in Astere.

Nomen ab *astere stellato flore*, ad quem accedit, nisi quod semina haud sunt papposa sed striata.

Salix.

Salix.

Character. Folia oblonga, villosa, albescentia, mollia, à vento facilè cadentia, lignum est album, flexile, arbor mediocriter magna corticem politam & flexilem habens. Cortex rami est coloris purperini vel albi.

Nomen à *Salio*, quia hæc arbor quasi saltando id est tam citò crescit.

Vires. Hæc arbor præbet refrigerium optimum, si in locis, ubi æger jacet, ejus frondes in aquâ collocentur; cæterum est alimentum pecoribus amænum. Hujus arboris folia decocta optimè conveniunt in sputo sanguineo, ut clysma inde factum in Dysenteria; Folia refrigerant & subastringunt, usus præcipue est in arcenda libidine, extrinsecus in balneis pedum pro vigiliis ac æstu febricitantium arcendo, in hæmorrhagiâ narium & vulnerum conducunt; Cortex eandem habet virtutem, præterea verrucas & clavos pedum corticum cinere extrahi tradit *Dioscorides*. Hæc arbor belgicè dicitur *Wilgheboom*.

Platanus Orientales.

De qua arbore *Herodotus* aliique scriptores tam multa loquuntur, dicitur & Platanus latus, quia hæc arbor in Asia tam mirificè ramos expandit, ut plus quam mille homines suâ gratâ umbra teget, habetur in Indice pagina 209, sub tali arbore *Hippocrates* invenit *Democritum*, eique allocutus est. Tenera hujus arboris folia sunt resolventia, in inflammationibus oculorum conducunt, uti & ex-

ternè in tumoribus, ejus cortex in Odontalgiâ convenit. Hæc arbor in locis aquosis crescit.

Populus.

Populus Lybica tremula (*quæ pag.* 211. *numero quarto*) sic dicitur, quia folia non quiescunt, sed etiam dicitur de *Ratelaer* belgicè, qui gratum susurrum facit iis, qui sub ea sedent. Folia sunt fere circularia, incisa, dura, nigricantia, semper tremula, licet nulla sit tempestas, neque ullus ventus. Hæc arbor crescit in locis aquosis circa mare. Cortex hujus arboris optimè detergit, præcipue in dolore Ischiatico adhibetur, ut in stranguria, externè in ambustis oculis seu gemmis adhiberi solent à mulieribus ad capillos adornandos & promovendos, prosunt itidem ad dolores sedandos, si externè adhibeantur, in unguento populeo recipitur, unde illud ita nominatur, quod unguentum in Hæmorrhoidibus optimè convenit, præsertim, si Opium in magnâ copiâ addetur; Tinctura harum gemmarum est optima pro Diarrhæâ inveterata, & ulceribus internis. Folia à nonnullis contusa in Podagra externè applicantur cum magno successu; succus in foraminibus Populi collectus verrucas, ac Impetigines curare creditur.

Rhamnus.

Character. Est arbuscula crescens aliquando ad altitudinem arboris, ejus truncus est mediocriter magnus, corticem similem Ceraso habentem. Lignum est subflavum; Rami spinas quasdam Pyrum silvestrum referentes habent:

bent: Folia sunt ampla, viridea, baccæ sunt molles Juniperi baccarum crassitie, nigræ, succum nigrum habentes. Crescit hæc arbuscula in sylvis aliisque locis incultis, amat rivulos & loca humida.

Vires. Baccæ in fine Septembris aut initio Octobris leguntur, ex quibus recentibus succus pressus cum saccharo mistus & coctus dat syrupum de spina cervina dictum, est optimum purgans & specificum contra Hydropem, sed sitim magnam facit, quod *Hippocrates* in purgatione laudat, & aliter non valere dicit; viridis ille succus quoque inspissatus, dat colorem vulgò *Schildersgroen* dictum. Baccæ purgant bilem, pituitam, ac maximè serosos humores, unde usus præcipuè in Cachexia, Rheumatismo, Podagra, Arthritide, Dolore Ischiatico, Paralysi est optimus, uti & in Chlorosi laborantibus, si illis baccis decoctis addatur Tinctura martis aperitivi.

Chrysanthemum.

Character. Caulis altus, squammosus, cineritius, in multos ramos divisus, multa folia incisa referentia millefolium habens. Singulus ramus florem radiatum aurei coloris in summitate habet ut *Rapinus* canit.

Ipsum etiam filis auro radiantibus ardens,
Lucebit saturo Chrysanthes murice pictum.

Radix annua, fibrosa, non longa, minima, alba. Crescit in montibus ac pratis, floret per totam æstatem.

Nomen habet à χρυσὸς *aurum* & ανθεμὸς *flos* virtus est nulla, licet rustici in Holsatia contra grumosum ac coagulatum sanguinem vel contra

contra febrem in cerevisia coquant & magno cum successu propinent, ut à nonnullis dicitur.

Buphthalmum.

Nomen à βȣ̃ς *bos* & ὀφθαλμὸς *oculus*, quasi bovis oculus, quoad florem non multum à chrysanthemis differt; hinc à multis sic dicitur. Virtus est nulla.

Cotula.

Nomen à κοτύλη *scapha*, sed nescio unde.

Leucanthemum.

Character habet omnia, quæ in Chrysanthemo, nisi quod folia florem coronantia sunt alba; Radix est fibrosa repens, saporis acris.

Nomen à λευκὸς *albus* & ἄνθεμος *flos*, cumque flos Helenii sit instar, dicitur flos solis albus.

Vires. Quinta Radix, folia, flores, lignum si ore manducentur saporem adeò penetrantem habent, ut maximâ lymphâ inundetur os, tanquam à fonte, optima est planta contra dolores dentium, si folia recentia denti dolenti imponantur, nam puto hanc habere vim resolvendi & aperiendi. Hæc pro Pyrethro habetur, ut etiam potest, sed tamen non est Pyrethrum officinale, sed ejus loco potest uti & in siccis morbis viscerum & Intestinorum. *Cæsalpinus* unguentum hujus plantæ in scabie maximè laudat; cæterum non scio in his virtutes nisi in designatis.

Bellis,

Bellis.

Character. Calix monophyllus, profundè divisus, & multifariam ad basin ferè usque florem habet vel nudum, vel planipetalum, capitulum seminale per maturitatem delapso flore assurgit. Folia parva, oblonga, in extremitate sua circularia, crassa, repentia.

Nomen à *belus* id est *pulchritudo*, hinc à *pulchritudine figuræ* belgicè *maagde liefde* dicitur & *Consolidago*, quia succo suo glutinoso vulnera consolidat, Gallicè dicitur *Pasquette*, quia circa pascam florere incipit. *Bellis* etiam vocatur, quia est planta pusilla. *Rapinus de hac herba cantat*:

Cum cælesti Aries splendebit stellifer auro:
Pratorum quondam nymphæ, nunc florea nymphis
Ornamenta tuo florebunt Bellides Horto:
Quas inter major sylvestris, caule prælto:
Hortensis nam flore minor, sed larga parentem
Nobilitat latè soboles, quæ surgit ab uno
Caudice picta sinus fili de more trilicis.

Vires. Tota herba est in usu, flos, folia, Radices, herba pabulum dat armentis optimum; recenti succo vis inest refrigerans, nitrosa, aperiens, demulcens & emolliens; hinc quoties est resolvendum astma, in castris & apud rusticos ad sanguinem, qui post contusionem vehementer est extravasatus, folia cocta applicantur, in inflammationibus renum & contra calculum est optima planta. Succus verno tem-

tempore collectus à nephriticis hauritur, quo facto nullum sentiunt dolorem in vesica, in oculis inflammatis flores in aqua cocti & impositi sunt optimi. Succus hujus plantæ vi depurante, aperiente, & refrigerante se commendat, hinc in omnibus morbis inflammatoriis convenit, ut *Helmontius* quoque optimè suis discipulis docuit, nam dicit hunc succum assumptum cum pauco melle est egregium in his medicamentum, succus ille pro calculo est optimus, nam quidam medicus hoc pro secreto habuit ad pellendum calculum, & hinc etiam multos curavit. Herba in umbrâ siccata servari potest per totum annum; in Diarrhæis & hæmorrhagiis conducit. Folia hujus plantæ decocta conducunt in Peripneumonia, uti & in Cataplasmate, nam tumores scrophulosos resolvunt, & Podagricis & paralyticis prosunt. Succus cum sero lactis decoctis resistit putredini.

Chamæmelum.

Character. Folia in toto genere minutim divisa. Floris calix est squammosus, & plerumque magis quam in præcedenti, flos est planus flosculosus, in nonnullis nudus, in aliis radiatus. Radix est minima, fibrosa.

Nomen à χαμαὶ, *humile* & μῆλον *pomum*, nam hæret humi & quasi pomum vinosum odore refert, cæterum nescio, unde hæc vox nisi, quia sub malo crescere solet. *Dioscorides* vocavit *Leucanthemum*, quia hujus plantæ species descripta habet folia alba & expansa, à decima quinta usque ad finem non est Chamæmelum, sed ad Santalinas accedit ut *Clarissimus*

mus Vaillant optimè annotavit; hinc hujus loco scribendum est *Santalinoides Orientale foliis pinnatis Vaillantii.*

Vires Prima, secunda, Tertia, quarta, quinta, septima, Duodecima, decima tertia, & decima octava. Omnes sunt officinales, vim habent aromaticum oleo penetrante, sed leni, nec multum adhærente non inflammante, sapor est amarus, aperientissimus, oleosissimus, & carminativus, hinc summopere aperit, emollit, calefacit, diuresin movet, laxat, discutit, herba externè applicata emollit & maturat locum inflammatum, in omni morbo à pituita crassa orto optimè conducit, ingreditur in Cataplasma, laudatur pro balneo vaporis, si ad summum ventris adscendat, & fæminali externè applicetur, vel bibatur in lochiis & menstruis à causa frigida retentis, si folia & flores in lacte cocti fomenti loco applicentur mammis frigidis vel lacte coagulatis, mirificè coagulum solvit, & deducit ad suppurationem, in omni Colica Clysmata inde fiunt ex floribus, est præterea planta febrifuga, antipygretica, si succi recenter pressi sumantur uncia una vel duæ, curat æquè febres ac cortex Peruvianus, si corpus ad sudorem componitur, nisi quod paulo nauseosus sit æger, sed ne quidem nocet, est sudoriferum optimum; ab Obstetricibus Clysmata inde injiciuntur; verum nescio, quare multi medici hanc plantam inter Antiphlogisticas recenseant, & ordinariò una cum sambuco præscribunt, cum in sambuco sit gratissima vis refrigerans, & nitrosa virtus, convenit tantum hæc planta, ubi lentor, & viscositas frigida adest, *Dioscorides* pulverem ex floribus confectum in fe-

bri-

bribus intermittentibus laudat, *Riverius* in eodem casu præscribit summitates hujus plantæ infusæ colicis nephriticis & retentione urinæ laborantibus prosunt, in doloribus post partum conducit, ut in hæmorrhoidibus, doloribus Ischiaticis & Podagra. in Chirurgicis quoque recipitur, nam tumores qui mox in suppurationem essent abituri, dissipat, nempe si ejus folia paulatim contrita cum vino imponantur; egregius est ejus succus ad ulcera mala & inveterata curanda. Scorbutum curat perfectè, ad curandam Podagram (si curari possit) est optima planta. Inde aqua fit stillatitia (ut vobis hac hyeme faciam) quæ vires habet easdem, nisi quod non sit tam fortis. Flores destillati dant oleum cæruleum in parvâ copiâ, quod est anodynum, ulceribus commendatum, internè subtilitate suâ omnem massam sanguineam penetrat, in febribus intermittentibus optimè adhibetur; hinc à nonnullis decoctum hujus præfertur Cortici peruviano, insigne est sudoriferum; hæc planta virginibus ad instar Thée epota ad obstacula uterina uti menstrua prolicienda prodest. Flores exsiccati externè cum sole ad calefaciendum & dissipandum exhibentur. Oleum chamæmeli cum partibus æqualibus olei Hyperici & spiritus vini Camphorati optimè ad leniendum externè in Rheumatismo convenit. Flores præcipuè in remediis internis & externis in usu sunt, conducunt etiam in lacte cocti contra Dysenteriam, & dolorem tenesmi leniunt.

Matricaria.

Character. Folia lata satis, in segmenta divisa,

visa, ad unam costam conjugatim posita. Flores habent calicem squammosum, subrotundum, sunt flores in umbellam congesti, sed plerumque laxiores. Caulis in multos ramos divisus, satis magnus, medullam fungosam albam habens. Semina oblonga, saporis ingrati & amari & odoris fortis.

Nomen. A *matrice*, quia hæc planta in morbis uterinis convenit. Dicitur *Parthenium* à παρθένος *virgo*, ob eandem causam.

Vires Odor in omnibus singularis excepta undecima, quæ est inodora, nomen habet à matrice tanquam utero propriè inserviens, quia ad omnes morbos matricis frigidæ convenit, habet saporem majus amarum oleosum & acre quam chamæmelum & aliquid camphoræ vel castorei refert; hinc ad pellenda menstrua, reliquias secundinæ, molas, lochia retenta à causâ frigidâ; Parthenium dicitur quasi ad morbos virgineos curandos conducens, quod etiam facit, si languor in utero oriatur, ut menstrua non fluant, tum ea provocat. Omnes sunt officinales, viresque per annos retinent, virtus consistit in oleo flagranti aromatica valde volatili, usus idem ac chamæmelum, fiunt ex his balnea pedum ad elicienda menstrua, Clysma ex hac herba injectum flatus discutit, in chirurgicis est egregia planta in tumoribus & contusionibus discutiendis, sal ex cineribus paratus est volatile, fit ex matricariæ aqua; vel ex planta recenti vel fermentata fit oleum, conserva, syrupus. Oleum quod dicitur oleum partheniacum omnes tumores resolvit, si eo pars affecta fricetur.

Lan-

Laurus Latifolia.

Hæc arbor eſt ſacra *Apollini*, folia ejus carpta igni immiſſa vi ſua elaſtica crepunt inſtar pulveris pyrei; hinc puto inde veteres dixiſſe illam *Phæbo* repugnare, ſed tamen à *Phæbo* amari. *Nomen lauri* à *laude*, quia hujus arboris folia ad Victores in bello coronandos in uſu erant. Ut *Martialis* optimè cantat.

Ecquid Hyperboreis ad nos converſus ab oris
Auſonias Cæſar jam parat ire vias?
Certus abeſt Auctor, ſed vox hoc nunciat omnis:
Credo tibi: verum dicere, Fama ſoles.
Publica victrices teſtantur gaudia chartæ:
Martia laurigera cuſpide pila virent,
Rurſus io, magnos clamat tibi Romæ triumphos
Invictusque tua, Cæſar, in urbe ſonas.
Sed jam lætitiæ, quo ſit fiducia major,
Sarmaticæ laurus nuncius ipſe veni.

Lignum eſt inſtar ligni Guajaci, quoad vires, folia ſunt fragrantiſſima, & cinnamomum ſpirant; baccæ ſunt oblongæ, rotundæ, nigricantes, nucleum geminum nigricantem ſub tenui pelliculâ includentes, ſaporis acris, amarcantis, aromatici, oleoſi non ingrati. Baccæ attenuant, reſolvunt, incidunt, conducunt in menſibus obſtructis procandis in Colica, Paralyſi, affectibus nervorum, convulſione externè applicatæ convenit in Iſchuria, Doloribus poſt partum, in enecandis pediculis, nam odorem ferre non poſſunt, in curanda ſcabie, & maculis faciei, & in ictu veſparum, emolliunt tumores, & adontalgiam mitigant; ex his

his baccis fit oleum laurinum, quod oleum convenit in colicâ flatulentâ, Auribus inditum dolores compefcit & auditum confortat, delet impetigines & quascunque faciei maculas, deinde ichorofis capitis ulceribus medetur, & tineas curat, baccæ fæminæ vires Matricariæ habent, fed ne in nimiâ quantitate exhibeantur, quia ob fui oleofitatem facilè vomitum creant.

Lentifcus.

Eft Arbor ramofa. Rami ejus funt craffi, flexiles corticem cinerei coloris habens. Folia Myrtim referentia, femper viridia, tenera, odoris fortis non ingrati, faporis adftingentis. Baccæ funt rotundæ, nigræ, faporis acidi habentes nucleum oblongum, nigrum durum, continens medullam albam vel viridem. Ex hifce baccis in Italia oleum conficitur. Crefcit in Italia præcipuè in infula Chio. Lignum eft adftringens & gingivas corrobarat, nomen à *lentefcere* quia ejus rami facilè flectuntur. Ex hoc ligno fiunt vulgò dentifcalpia, quæ reliquis antecellunt; ex hac arbore etiam Mafticheco lligitur.

Nomen à lentore. Folia enim cocta Therebinthinam exhibent, locus natalis eft *Italia*, *Hifpania*, maximè *infula Thevenot*, planta hæc contrita odorem refinofum fpirat, æftivo fole cocta plorat lachrymas dictas Maftichen, ergo vis fingularis Maftichis ad ulcera & vulnera ab aëre defendenda, ejus fuffimigia ad gravedinem capitis profunt, quia corroborant.

Ptarmi-

Ptarmica.

Character: Ut in matricaria ferè, folia magna ſerratim ad inſtar inſculpta, ſaporis acri ut in Pyrethro. Flos eſt radiatus & intenſiores faſciculos habens, compactus in millefolio, ſemina parva, Radix oblonga, fibroſa. Caulis unicus, rotundus, creſcit in locis incultis & arenoſis.

Nomen à πτάρμος *ſternutamentum*, quia capitula hujus plantæ contrita pro pulvere ſternutatorio uſurpantur, dicitur etiam *Dracunculus*, quia eandem figuram ferè habet ac *Dracunculus hortenſis*.

Vires. Prima & ſecunda habent vires calefacientes & penetrantes, Veteres in omni morbo, ubi ſtimulandum & aperiendum erat, adhibuerunt, & re verâ in tali cauſâ quam optimè conducit, vi ſuâ calidâ ſtomachum roboret, ſi maſticentur folia, prolicit magnam ſalivæ copiam, hinc in odontalgia conducit, adhibetur in mucoſis & lentis faucium obſtructionibus, in quibus ſudores ſunt excitandi. Succus ejus decoctus in omni morbo conducit, ubi matricaria convenit, ſed non tantum habet olei; hinc non ita adhæret. Eſt planta acris, habetque vires ac *herba Dracon* vulgò belgicè *Dragon*, calefacit eſtque herba aromatica.

Millefolium.

Character. Radix ut plurimum vivax & fibroſa. Folia tenuiſſimè & innumerabilibus ferè ſegmentis diviſa & ſubdiviſa, conſtat una longiſſima coſta, quibus folia & his iterum folia

lia adnascuntur; Flos congestus in umbellam candidissimam, estque discoideus radiatus, Calix subrotundus, squammosus; semina sunt omnium minima. Crescit in locis incultis & arenosis.

Nomen. Quasi folia millies essent incisa. *Plinius* narrat *Achillem à Chirone* edoctum fuisse medicinam & artem curandi vulnera, & *Telephum* proprio telo vulneratum hac planta curasse. unde dicitur *Achillea*. *Stratiotes* id est *militaris* etiam dicitur à *στρατός exercitus*, quia hæc planta conducit in vulneribus curandis, quæ milites in exercitu accipiunt. vulgò vocatur *herba carpentaria*, quia vectoribus in usu est ad sanguinem sistendum.

Vires. Prima & secunda Veteribus in usu fuerunt, habent vires sanguinem sistentes, & interim roborantes, adstringentes, in diarrhæa, hæmarrhagiis narium, uteri, alvi, vulnerum, sputo sanguineo, urina retenta, vomitu, mictione sanguinis, calculo, hæmorrhoidibus, gonorrhæa, quando à nimia laxitate oritur, convenit, & ubi humores soluti sunt compingendi, folia in aqua infusa instar potus Thée sunt optima, aqua ex hac planta destillata conducit Epilepsiæ, hujus plantæ vinum medicatum omnes Diarrhæas curat. Externè adhibetur in Odontalgia, hæmorrhoidibus, Hernia, Penis tumoribus, Cephalalgia, Oculorum Pterigio, ictibus venenatis. Est planta etiam vulneraria.

Caltha.

Character. Folia oblonga, integra, cauli adhærentia, succulenta, carnosa, mollia, villosa, albescentia. Flos discoideus, radiatus,

 rotundus,

rotundus, magnus, coloris aurei ſaporis fortis & grati petalis frontatis & Crenatis, ſemina curva, aſpera, Calix ſquammoſus, multifidus, ſemen hic propriè non eſt nudum, attamen ad nuda refertur, quia cum ſua capſula integrè decedit.

Nomen. Calthæ dicitur, quia calthi effigiem habet, putatur eſſe veterum Caltha, quod etiam videtur verum eſſe; nam grammatici non multum differentiæ faciunt inter χ & δ belgicè *goutsbloemen*, Caltha eſt diminutiva à calendulâ, ut olim vocabatur, & ita dicebatur, quia primo menſis die, qui dicebantur calendæ, floreſcebat.

Vires. Quinque priores ſunt officinales, ejus ſuccus eſt calefacientiſſimus, cardiacus, penetrantiſſimus, & validiſſimè ſaponaceus, cephalicus, aromaticus imprimis ex flore, hinc inter ſudoriferos eſt primarius ſuccus, ubi ſudor eſt provocandus, ſed quia in his morbis fere ſemper adeſt putredo; hinc ordinariò additur acetum, ſic ſumebant veteres tempore matutino vacuo ſtomacho acetum Calthæ ad unciam unam ad præſervationem à peſte, nam hæc in Regionibus olim erat frequens, ſemper ergo convenit hoc ſudoriferum Calthæ, ſi modò nimius calor non metuatur, nam vis eſt calefaciens, penetrantiſſimus & ſubtiliſſimus, hinc etiam reſiſtit gangrænæ & pulcherrimè reſolvit. Ejus ſuccus, infuſum, & extractum conveniunt in Ictero, Hydrope; Paralyſi, Morbillis & Variolis; vim ſpecificam habent ad morbos uterinos, & Renes, & ad intermittentes febres, non à nimis calida cauſa ortas, in colica vel dolore ſtomachico clysma inde injectum optimè convenit, abundat hæc planta oleo tenuiſſi-

tenuissimo, quod tenuis & refrigerans odor demonstrat, est planta emolliens, & anodyna inter primaria antispasmodica, & maturans, aqua ex hac planta destillata conducit in inflammationibus oculorum, uti & pulvis inde factus in Odontalgia. Flos externi cuti appositus est egregium resolvens, notum quoque est, quod Rustici utantur hoc succo calendulæ ad colorem elegantem butyro conciliandum, & à putredine conservandum, sed quia est valde carus; hinc curcuma aliaque admiscent; si cataplasma inde factum mammæ induratæ applicetur, omnia dura coagulata resolvit. Folia hocque modo applicata in omnibus tumoribus & ulceribus uti & clavis pedum conveniunt. Succus hujus plantæ recenter pressus & epotus Nephriticis saluberrimus esse dicitur, si jejuno stomacho usurpetur, valet ad grumos expellendos ex renibus, fit inde conserva, ut & acetum calendulatum dictum.

Tagetes.

Hæc planta non ex *India* sed ex *Catalonia* primò allata est, à prima usque ad Octavam laudantur à nonnullis pro herbis sanissimis, & dicitur virtutem attenuantem & aperientem habere, succus ex foliis expressus & vino mistus contra stomachum frigidum laudatur, uti & menstrua obstructa; febrem intermittentem cachexiam & hydrophem; alii iterum dicunt esse plantas venenatas. In Mauritania est planta optima contra multos morbos, sed hoc animadvertimus sæpius in historia naturali, quod eadem planta, hic sit venenata, alibi saluti-

 fera.

fera; tamen de nona & decima conſtát, quod comeſtæ hominem occidant, ut ſi pueri quandoque harum flores [nam ſunt elegantes] in ore teneant, tum os inflatummatur, in ventriculo verò, ubi venit, occidit; hinc hanc herbam licet de prioribus multa prædicentur, ſuſpectam habemus; nam in Botanica eſt tanta ubertas; ut hanc in uſum revocare, non opus habeamus, nam *Dodonæus* hanc plantam eſſe venenatam aſſerit, uti plurimis experimentis probat.

Xeranthemum.

Character. Hæc planta habet caulem ad altitudinem duorum pedum, albeſcentem referentem Cyanum; Folia plerumque creſcunt in parte inferiori caulis, numeroſa, oblonga, lata, in ſuperiore parte mollem albamque lanuginem habentia. Flores in ſummitate rami poſiti, radiati, in principio albi, poſtea purpurei coloris; plurimos annos perdurantes, qua de cauſa immortalis flos fuit dictus, ſemina ſunt lanuginoſa. Radix eſt oblonga, dura recta, nigricantia.

Nomen. à ξηρὸς *ſiccus* & ἄνθη *flos, quaſi flos ſiccus. Cluſius* hunc Plantam *Ptarmicam* vocavit, non quia ſternutationem excitat, ſed *Ptarmicam Dodonei* aliquantulum refert, vulgò *immortalis herba* dicitur, quia in plurimos annos ſervari poteſt ejus flos, nam habet bracteas rigidas, quæ crepant ac ſi lamellæ metallinæ eſſent; hinc hic flos per viginti annos conſervari poteſt, vires hujus plantæ in re medica non ſunt notæ.

Conyza

Conyza.

Character. Flos ex meris flosculis compositus neque habens radios laterales, flores habent semina papposa, calix oblongus, squammosus, caulis divisus, villosus, lanuginem albescentem habens, ramosus, folia verbascum nigrum referunt, sed minora, odorata acria & amara. Radix divisa lignosa, odorata, amara, acris.

Nomen a κωνώψ culex, quia *teste Dioscoride* folia suspensa culices fugent. Dicitur etiam *Baccharis à Baccho*, quia viscosum odorem spirat.

Vires. Omnes hæ plantæ Veteribus fuerunt notæ; Tertia ad omnes pulices omniaque talia insecta pellenda valet, quæ verò sit *Conyza Dioscoridis* nescimus; vis est Aromatica, valde calefaciens, & excitans, vires habent acerrimas cum Nasturtio, Allio & Lepidio convenientes.

Senecio.

Character. Calix admodum, oblongus simplici petalorum vaslio cònstans. Caulis rotundus, excavatus, aliquando cineritius, ramosus, folia habens oblonga, dissecta, sine caule adhærentia. Floris in summitate ramorum singuli umbellam habentes, radiati. Radix est fibrosa.

Nomen senecio à senesco, quia cælo fervente cito floret & senescit, & semen postea caput senum repræsentat. Dicitur etiam *Erigeron* ab ἦρι *vere &* γέρων *senescens*, quasi *senex veris*,

quia hyeme floret, hinc verno tempore jam est senex, quod de prima hac planta verum est, vocatur etiam *herba pappa* quasi *herba papposa*, quia semina hujus plantæ habent multos pappos, id est materiem lanuginosam albam. Belgicè dicitur *keelkruyt* vel *halskruyt.*

Vires. Laudatur à vi singulari, qua prodest inflammationi faucium, si succus cum oxyciato misceatur pro Gargarismate, laudatur quoque ad tumores scirrhosos. Botanicus quidam *Petrus de Hoi* nobis dicit, omnem Radicem chinæ, quæ defertur ex India, ex hac sola planta peti, crassissima ejus Radix decocta à chinensibus, ut generale depurgans sanguinem habetur, & dicunt; hinc lepram curari, hanc virtutem non omnino huic possemus negare. Est planta emolliens, aperiens, resolvens, succus ejus expressus & haustus vermes necat, conducit in Ictero, Colica, exsputione sanguinis, fluere muliebri, Vomitu, dolore Ischiatico, folia contusa forma Cataplasmatis applicata conveniunt in mammis inflammatis, Podagra, Hæmorrhoidibus, scabie capitis, urina retenta, vulneribus, Arthritide, uti & in lacte coagulato in mammis dissipando.

Senesis.

Clarissimus Botanicus *Switsen* misit ad me Iconem & descriptionem Chinæ Japonensis, sed illa est planè alia planta; Radix ut hic crassissima est, sed tamen tuberosa, quod in Senicio non habetur, estque planta non scandens, ut Canadensis Clematitis, vel Hædera vel Pæonia, Brionia, cui proxime accedit; hinc puto duplicem radicem Chinæ in officinis habere,

bere, & puto hanc noſtram non eſſe tam penetrantem, ut Lepram curet; hinc potius hæc convenit ad emolliendum & non ita ad expellendum. Japonenſis verò eſt longè acrior, & hinc forſan lues venerea curari poteſt, ut de Chinæ Radice dicitur, ſed tamen hic in hac cura talem effectum hujus radicis non vidi. Radix eſt pretioſiſſima; hinc hæc Radix multum adulteratur, nam eroſâ & ſenectute conſumptâ cum pulte foraminula iterum replent, & ſic pro bona vendunt; & hæc ratio eſt, quare ego non magis præſcribo, niſi prius antea illam videam, nam aliter huic fidere non poſſumus. Cæterum virtus apud auctores deſcripta de hac herba videatur.

Eupatorium.

Character. Calice minori & ſquammoſo ſe diſtinguit, caules inferius non ramoſi: folia ſunt hinc inde per intervalla poſita oblonga, in acumen deſinentia, inciſa, villoſa, ſaporis amari. Flos in Umbellam congeſtus. Radix eſt fibroſa, alba, amara. Créſcit in locis humidis aquoſis.

Nomen. ab *Eupatore Rege*, qui hanc plantam primus in uſum revocavit, vel quaſi ἡπατόριον ſeu ἡπατίτης ab ἧπαρ *hepar*, quia hæc planta in morbis hepatis optimè conducit. Vel ab εὐπατὴρ *id eſt bonus pater ſeu filius patri amatus* ita ut hoc nomen multi Reges Ægyptiorum tulerunt. Belgicè dicitur *Boeltjeskruydt herba Meretricia.*

Vires. Eſt ruſticorum Panacea, ſuccus magnâ copiâ aſſumptus vomitum excitat, alvum, ſalivationem & omnes excretiones movet; hinc

multos morbos chronicos curat, ut rustici felici cum successu utuntur in Hydrope, Ictero, in Quartanâ, & ad scorbutum princeps audit remedium, ad omnes febres intermittentes succus expressus recens ex foliis ad unciam unam vel duas mirum effectum habent. Imprimis hæc planta laudatur, si crescat in locis humilibus, ut hic in Batavia locis paludosis, ubi quoque multum scorbutum Epidemicum grassatur. Est planta amarissima penetrantissimi saporis. Cerevisia medicata inde facta laudatur Hypochondriacis, scorbuticis frigidis, febribus tertianis frigidis, & ad omnes frigidas obstructiones solvendas, contra Hydropem Anasarcam, nam exsiccat urinam & sudores pellit, præprimis si succus sumatur, Planta infusa & instar Thée epota est optima in hisce morbis, nocet omnibus morbis calidis, si nimiâ in copiâ assumatur, irritat stomachum & vomitum excitat, Saburram stomachi lenti expellit, in curandis tibiarum ulceribus imprimis inclaruit, si mane per septimanas bibatur, maximè hæc ulcera depurantur, succus ex summitatibus exprimitur; folia pedibus tumentibus imposita summi sunt usus. *Gesnerus* dicit hujus radicis decoctum multo tutius & facilius evacuare quam Helleborus.

Cacalia.

Character. Folia crassa, magna, circularia, minutim incisa Petasitidem referentia; Caulis villosus, medullosus in supremâ parte in ramos divisus. Flos in umbellam divisus. Semina oblonga; Radix fibrosa minimi digiti crassitie. Crescit in montibus.

Vis.

Vis est emolliens, vulnera consolidat, si folia externè applicentur.

Petasites.

Character. Caulis est magnus, lanuginosus. Radix oblonga, digitum crassa, ramosa, resinosa, foris fusca intus albicans saporis acris aromatici, amaricantis, odoris fragrantis.

Nomen. à *πετάω extendo*, quia ejus folia sunt valde extensa vel a *πετάσος*, quod dicitur *pileus*, quia ejus folia loci pilei inservire possunt, nam habet cavum quoddam in medio, & circa illud cavum horizontalem expansionem, pileus propriè nostro vocabulo dicitur *een bonnet* & talem petasum hæc planta refert, nam multa majora & ampliora folia ad ripas crescunt.

Vires. Prima imprimis & quoque secunda sunt officinales Radix, folia, pedunculi, Caules flores, sapor est singularis, quem nullibi conferre possum, est verò planta calefaciens, aromatica, & balsamica; ex his ejus vis intelligitur, est aperiens, ubi venenum est admodum mobile id ope sudoris expellit, unde pestem sanat; dicitur belgicè *pestwortel*, & in omnibus linguis Europæis, si Radix in aquâ vel aceto ad dragmam unam vel unciam demidiam infusa & melle edulcorata assumatur, tum inde sudoribus ferè diffluunt homines, hocque modo venenum expellitur, hoc imprimis de radice verum est, inter Alexipharmaca quoque medicamenta habetur, Folia Epidermide externâ privatâ ad pedes Hydropicorum vel Leucophlegmaticorum applicata materiam aquosam dissipant. Vis est attenuans, aperiens, resolvens. Sudorem excitans, adeoque perspira-

tionem augens, adeoque omne volatile expellens, putredinem alcalinum ex corpore discutiens, datur in pulvere, syrupo, & decocto. Folia & flores easdem habent vires ac radix, quæ colligitur ante foliorum eruptionem, cum flosculi prodire incipiunt, aliter ipsa evanescit; cortice radicis abraso scobs submergitur, & fit infusum, admisceatur succo Ruthæ & paululum Theriacæ, tumque certum remedium pestis esse dicitur, folia externè applicata discutiunt contusiones, Radices etiam in Pleuritide conveniunt, ubi pus excoctum est, uti in morbis pectoris, asthmate, tussi, in lypothymia uterina, extrinsecus commendatur ad bubones, & ulcera maligna.

Gnaphalium.

Character. Radix lignosa, oblonga, crassa, nigra, aliquantulum fibrosa, odoris aromatici, saporis subsalsi.

Nomen. *Gnaphalium* à γναφάλον *tomentum*, vel ex κνάπτω *pecto*, quia ejus lanugine externâ pectitur, nil de ejus virtute commemoratur.

Filago.

Character. Folia incana, tumentosa, oblonga mollia, Calix squammosus, hæmisphericus, nec lucidus, nec insigni quodam colore præditus, semina papposa, oblonga.

Nomen. Sic dicitur à *filo*, quia hac planta quasi in fila duci potest, *Impia Gesnero* & *Plinio* dicitur, quia dum florescunt, unius assurgit flosculus, quem reliqui sequuntur, prio-

rem

rem suffocantes tanquam patrem; hinc illud nomen, nam impietas propriè apud veteres erat inobedientia erga parentes. Belgicè *de Wolffcheeren*; quia si caules frangantur, immediatè manet filum. Vis est antihisterica. Hæc herba prodest ad Cancrum & mala mammerum, dicunt etiam nonnulli lepram curare, sed hoc dixere à lanugine, quâ folia vestita sunt, & hinc etiam putarunt lanuginem cutis curare, sed minime; omnes verò incredibilem vim exsiccandi habent, quæ vis, si ejus folia manducentur, in ore apparet; hinc ad sistenda profluvia humorum convenit.

Elichrysum.

Character. Caulis in multos ramos divisus, lignosus, lanuginosus, albus, habens parva folia villosa, albescentia. Flores in summitate caulis, petala mentientes coloris aurei aut in nonnullis speciebus argentei. Flos plurimis annis servari potest odoris valde grati. Semen est oblongum, odoratum, acre. Radix est simplex, crassa, lignosa, odorem similem gummi Elemi habens crescit in locis aridis & siccis.

Nomen ab ἥλιος, & χρυσὸς, *aurum*, quia hæc planta, quando radii solis in illa sunt positi, Solis splendorem & colorem imitatur; dicitur etiam *coma aurea.* Quarta stœchas dicitur, quia hujus plantæ perfectè convenit; hujus folia floresque in medicina recipiuntur.

Vires. Est Planta diuretica, sudorifera, attenuans, aperiens & vulneraria, hortos insigniter ornat, & flores immortales præbet nectendis corallis aptissimos, menses ciet, lumbricos necat, & sanguinem extravasatum dissolvit.

ſolvit. Octava & nona verum caſtoreum vel aſſam fœtidam redolent; hinc ab Hottentotti in morbis hyſtericis adhibentur, accedit vis balſamica, ita ut credam hanc plantam huic uſui inſervire, in cordis palpitationibus etiam conducit. Undecima eſt planta benigniſſima & viribus medicatis prædita, hæc in Africa creſcit, ad magnam arboris altitudinem, hinc mirum, quod ibi ejus virtus non exploretur, odor inter Salviam & Roremmarinum medium, & apud Africanos inſtar Rorismarini laudatur, ſyrupus inde factus eſt optimus in obſtructionibus pulmonum, & vocatur ſyrupus de Hiſpidula.

Coma Aurea.

Character. Folia minus tomentoſa, diſcus floris aureus, calix nec lucidus nec coloratus.

Nomen. A *colore aureo*, qui per flores fulget, & comam refert.

Vires. De hac planta nil prædicatur, ſed tamen eſt aromatica ſuaveolens, & hinc ut videtur, aliquid virium habet. Octava eſt ſuaveolentiſſima, & ad colicos dolores ab acido oriundos convenit. Nona ab africanis ad morbos frigidos adhibetur, nam odor eſt ſuaviſſimus, ſed contrito folio paulo poſt perit. In obſtructione urinæ, menſium conducit, congulatum ſanguinem reſolvit, lumbricos necat.

Bidens.

Character. Flos floſculoſus non radiatus. Semen oblongum, cornutum. Radix fibroſa.

ſemina

ſemina prætereuntium veſtes arripiunt, & ſe his affigunt; hinc dicitur belgicè *ſpelde en naaldekruyt.* Nulla eſt virtus nota, ſed tantum pro hortorum ornamento inſerviunt.

Santolina.

Character. Calix ſemi-phæricus, ſquammoſus, flos ſingularis ſtructuræ creſcens in uno calice vel ſtipite. Tota planta eſt odoris fortis, grati, ſaporis acris & amari.

Nomen. *Abrotanum* dicitur & videtur eſſe *herba immortalis*, *ἀβρωτὸν* *Homerus* vocat, quaſi à *βρωὴ non edulem.* Bellis in omnibus convenit cum *Santolina*, niſi quod ſpinas habeat. *Santolina* vocatur ob magnam virtutem *quaſi ſancta herba.* Gallicè *garderobe*, quia vermes veſtium necant. *Chomæcypariſſus* à *χαμαὶ humi*, & *cypariſſus*, *quaſi parvus Cyprus*, quia hæc planta hanc arborem refert.

Vires hæc prima Planta putatur à *Fabio Columna* eſſe *Polium veterum*, quod eſt laudatiſſima planta, hoc etiam verum eſſe videtur, vis eſt Diaphoretica, Anticolica; hinc in omnibus Alexipharmacis corporibus ingreditur, omnes ſunt alexipharmacæ & aromaticæ, ut de Eupatorio & Petaſitide dixi.

Liguſtrum.

Character. Eſt magna arbuſcula habens multos ramos, longos flexiles, corticem gerentes cinereum, lignum durum eſt & album, folia conjugata per intervalla ſe invicem ſunt poſita, ablonga referentia ſalicem. Flores monopetali infundibuliformis tetrapetaloides

& pentapetaloides, calici exiguo innitens, ovarium in imo calicis, fit fructus globosus, mollis succo plenus. Est elegans arbor ad sepimenta facienda, flores parvos albos, sed tamen elegantes fert, hinc *Poëta* canit.

Alba Ligustra cadunt, sed Fraxina nigra leguntur.

Vires Lignum hujus arboris est adstringens, hinc ejus decoctum in morbis oris, Scorbuto, Diarrhæâ convenit.

Tanacetum.

Character. Flores aurei, nudi in summis caulibus umbellatim congesti. Folia lanciniata, longa, magna, incisa. Semina parva, oblonga, nigra. Radix longa, lignosa, divisa in multis fibris repentibus, tota planta est odoris ingrati, saporis amaricantis *Rapinus hortorum libri quatuor* de hac herba canit.

Sed quæ floruerant extremos solis ad æstus,
Dum gravis ardentes urebat Sirius agros,
Hibernos etiam durant Tanaceta per imbres,
Clara colore suo crispæque volumine frondis.

Vires. Vires insignes sunt aromaticæ penetrantes admodum & reficientes, aperientes, calefacientes. Prima, secunda & tertia dant semen santonicum Europæum æquè bonum contra vermes ac Sanctonicum Ægyptiacum, si folia infusa potentur, vel cum floribus Cataplasma inde factum umbilico applicentur, vel aqua inde destillata assumatur, si semina

cum

cum vino jejuno ſtomacho potentur, vel foliorum unciæ tres decoctæ cum ſyrupo, vel melle edulcorentur, quæ omnia in hoc caſu præſtant. Hæ herbæ ſunt balſamicæ, & amariſſimæ, & ut loco nucis myriſtici & cinnamomi adhiberi poſſit, nam credo Aſiam nullo odore fragrantiori ſuperbire quam hæ plantæ, habentur etiam pro Partenio veterum; harum folia ſi ad corpus mortuum apponantur & in nares, & os intrudantur, à putredine & inſectis cadaver defendunt; hinc herba immortalis Athanisia dicitur; ejus ſuccus facit idem ac abſynthii & matricariæ ſimul, verum poſteriores ſunt graveolentes & in omni morbo frigido conveniunt. *Cæſalpinus* dicit, quod folia hujus plantæ vino infuſa menſtrua provocent, ſuccus ejus cum aquâ plantaginis potus omnes febres intermittentes curat, uti & ſcabiem & Rheumatiſmum, Hydropem; Fomenta ex ejus foliis ſunt optima, ſuccus hujus plantæ etiam conducit Chloroſi & cachexiâ laborantibus. Conſerva inde facta convenit Epilepſiæ, Colicæ & paſſionibus hyſtericis, Calculo, & Renibus à ſaburra obſtructis; convenit cum ſabina, matricaria & abrotano. Hodie in uterina balnea ingreditur. Flores in placentis cocti optimè conducunt ad roborandum ſtomachum.

Balſamita.

Character. Caulis eſt villoſa, ramoſa, Folia oblonga, inciſa. Flores in ſummitate caulis in umbellam congeſti. Capſula ſunt membranoſa, oblonga, ſemina parva includentia, Radix mentham referens fibroſa.

Vires. Eſt planta Aromatica, ſi ulla ſit, in vino infuſa attenuat & melancholis egregium eſt medicamentum, vires ſunt eædem ut de Tanaceto dixi, niſi quod non ſit ita graveolens, ita ut pro uſu medico adhuc melior ſit, contra hyſtericos & hypochondriacos ſummè laudatur, ut & contra Scorbutum frigidum.

Ageratum.

Character. Eſt planta, quæ ex Radice germinat multa folia, parva, oblonga, inciſa, repentia ſaporis amari. Caulis multos flores purpureos ſuſtinet, capſula membranoſa, oblonga, in duas partes diviſa, quæ ſemina parva continent, Radix eſt fibroſa, parva, flaveſcens, creſcit in montibus & locis ſiccis.

Nomen. A γῆρας *ſenectus* & a *privativo*, *quaſi planta nunquam ſeneſcens.* Hoc inde venit, quia flos unius ſpeciei agerati longo tempore ſervari poteſt ſine ulla mutatione.

Vires. Secunda & Octava ab aromaticis viribus medicatis laudantur, ſi verò vires Tanaceti & balſamitæ jungantur, tum hujus herbæ virtutes habentur, hæ in omnibus jam magnis compoſitionibus ingrediuntur. Semen quartæ plantæ pro ſemine ſantonici Ægypti adhiberi poteſt ad vermes necandos *Wurmkruyt* quæ eſt Septima, indeſputant nonnulli corticem peruvianum hauriri, ſed non verum, vis verò proxımè accedit, ita ut pro eo uſurpari poſſit. Aqua inde deſtillata & ſpiritus dant odorem fragrantiſſimum, ex hac planta ſyrupus, oleum, infuſum, Decoctum, Pulveres, Pilulæ conficiuntur, *Boyleus* animadvertit hanc plantam oculis nocere.

Ab-

Absynthium.

Character. Flores nudi deorſum vergentes, Caulis, lignoſus ramoſus, albeſcens. Folia incana, amara, inſignia, odoris aromatici, ſaporis amari. Semina parva. Radix ſatis magna, lignoſa.

Nomen. Ex *à privativo* & ψίνθος, *delectatio*, quaſi planta quæ ob magnam amaritiem nullam delectationem præbet. Planta ingrata ut *Lucretius* dicit *tetron ablynthium*, hinc etiam *Ovidius* adeo de hac herba deteſtabatur, & dicebat ſe relegatum eſſe ad horrida tetraque Abſynthii campa, *Abſynthium Ponticum* dicitur ab *inſula ſic dicta*, ubi creſcit in magnâ copiâ, ut *Ovidius* canit.

Cana prius gelido deſint abſynthia Ponto,
Et careat dulci Tinacris Hybla thymo.
Immemorem quam te quiſquiam convincat amici:
Non ita ſunt ſoti ſtamina nigra mei.

Vires. Omnes hæ plantæ ſunt amariſſimæ, ob quam cauſam *Martialis* canit.

Santonicâ medicata dedit mihi pocula virgâ
Os hominis! mulſum me rogat Hippocrates.
Tum ſtupidus nunquam nec tu puto, Glauce, fuiſti,
Chalcea donanti chryſea, qui dederas.
Dulci aliquis munus pro munere poſcit amaro?
Accipiat, ſed ſi potat in Elleboro.

Quarta non ita eſt amara, hæc planta vires habet:

habet immortales, nam ejus ſuccus omnes hydropes ſanat, ſi modo viſcera nondum ſunt rupta & in languore etiam optime convenit ſuccus ex foliis recentibus preſſus ad unciam unam, ex eo etiam conficitur conſerva pater ſtomachi dicta, quæ ex teneris foliorum tertiæ & ſeptimæ plantæ ſummitatibus conficitur, ubi ventriculus eſt pituitoſus, & bilis iners, optime conducit; verum nunquam in morbo calido. Folia in vino infuſa valent contra lumbricos, prodeſt hæc planta in quartana & ſcorbuto, ſed tum ſummitates herbæ ſumo, & in pulverem contero, tum ægri ſumant hunc pulverem jejuno ſtomacho. Hoc pro pauperibus eſt optimum remedium, ſed pro Divitibus aliquid pulchrius eſt conficiendum, ſic & in chirurgicis optime conducit hæc planta, ſi pars jam putredinem vel Gangrænam accipiat, & jam moritura ſit, tum involvatur hæc pars hiſce foliis contuſis cum vino vel aceto & pauco ſale, & certus ſum hoc modo gangrænam præcaveri poſſe, aqua vero abſynthii non multum valet, ſed aqua deſtillata eſt melior, oleum verò eſt optimum, ex foliis ultulando fit ſal abſynthii *Tachenii*, vivis verò flammis comburendo ſal lixivioſum, qui non tam bonus eſt, inde & conficitur vinum abſynthium, quod ſemper convenit, ubi bilis deficit in morbis frigidis, appetitum à cauſâ frigidâ reſtituit, unum tamen vitium habet, quod ſi in magnâ nimis copiâ utatur, viſus debilitet vi ſua exſiccante. In menſtruis obſtructis & retentione urinæ optimè convenit, uti & in ſcorbuto & omnibus febribus intermittentibus, ſudorem ciet. Eſt anticolica planta, & ob ſui nimiam graveolentiam accerſere ſomnum dicitur, auditum acuit.

Ar-

Artemisia.

Character. Flores hic erecti, minimi purpurescentes, adorati saporis subdulcis. Folia in acutas lacunas divisa, supernè obscura, viridia, incana, inferne alba; Radix longa digitum crassa, lignosa saporis subdulcis & aromatici.

Nomen. Ab *Artemisia Mausoli Regis Cariæ, uxore*, quæ hanc plantam in usum vocavit. Dicitur etiam *herba lucina* quia in partu difficili convenit, fætum enim & secundinas expellit, habet aliquid tenue aromaticum abstergens, lochia & menstrua expellens. Belgicè vocatur *Byvoet.*

Vires. Omnes morbos virgineos curat, dicunt nonnulli auctores quod si quis corpori suo hanc herbam applicaret, & cum alio ambularet, quod tum ejus pedes ad se trahat, sed puto hoc modo esse nugas, vel ab incantamentis, vel magis forsan inde petitum esse, quia tum suavissimum aroma habet, ut si quis secum hanc ducat, inde reficitur, & hinc plus virium habet, quam qui cum eo iter facit. Succus hujus herbæ est aromaticus, lenis & levissimè adstringens. Hinc in morbis uterinis ubi aperiendum & stimulandum est convenit; herba hujus plantæ in vino infusa viscerum obstructiones tollit, & sanguinem à materiâ peregrinâ liberat, vel in educendis mucis ex utero conducit, estque roborans. Externè in balneis pedum est optima planta; flores & folia instar Thée infusa in passionibus hystericis conveniunt. Inde conficitur syrupus Fernelii dictus, qui in partu difficili ut in omnibus hisce morbis est egregius.

Abrotanum.

Character. Folia parva, incisa, adoris fortis & aromatici acris. Flores & semina referunt absynthium coloris subflavi. Radix lignosa, Caulis multifidus, durus, fragilis, ramosus, medullam albam habens.

Nomen quasi ἀβρωτὸν ex a *privativo* & βρώσκω *comedo*, quasi planta quæ ob amaritiem non comedi potest.

Vires. Prima & secunda odorem spirant suavissimum, hæc herba citri Botanicis vocatur ob tenuissimum odorem hyemali tempore reficiens, sternutatorio ingreditur. Ex hac planta producuntur oleum fragrantissimum & aqua destillata, vis inest spiritus reficiendi, Folia in vino vel cerevisia infusa bilem atram & scorbutum lentum sanat; dicitur quasi planta, quæ nunquam moritur, quia à Gangræna partes defendit. Hæc planta olim pro basi medicinæ habebatur, hinc medicus non nisi abrotanum præscribere audere dicebatur, in Prima & secunda suaveolentissimus est odor, qui maximè spiritus exhilarat, sed tamen non verum est, ut gallico vocabulo exprimitur *yvroigne*, nempe quod ebrietatem faciat, sed hoc nomen forsan petitum est ex voce *Aurone* Succus ille melancholicos exhilarat, si verò inter papyrum exsiccetur, & in pulverem conteratur, tum hic pulvis vestibus aspersus non solum à vermibus vestes conservat, sed & gratissimum odorem spargit. Si cadaver hac planta fricetur, tum à putredine per multos annos servatur, omnesque vermes & insecta arcet. Primæ & secundæ inest virtus, ut grato spiritu suo

ſuo excitet & exhilarat ſpiritus noſtros, & ſi vino infundatur, egregiæ virtutis eſt, ſi ſubtiliſſimæ plantæ eis adjungantur. Eſt planta aperiens ſub adſtringens, attenuans, incidens, diſcutiens, urinam movet, uti & menſtrua, impetus hyſtericos diſcutit; Colicæ optimè conducit. Extrinſecus in oſſibus exſiccandis & roborandis convenit.

Draco.

Character. Caulis multifidus, durus, anguloſus, ramoſus, habens multa folia longa, lata, odorantia, viridia, obſcura, ſplendentia, ſaporis acris aromatici cum dulcedine quadam grata aniſum referente. Flores in ſummitate caulis creſcentes, minimi. Radix longa.

Vires. Hæc herba multum de Pyrethro participat, nam totum os ſalivâ madefacit; deinde vires ſunt ut in Ptarmica, ſed paulo acriores, eſt enim planta ſubtiliſſimo aromatico ſapore prædita ſine acrimonia rodente; hinc in menſa adhibetur pro condimento ad duros cibos facilius digeſtibiles reddendos, nam ventriculo prodeſt, laudatur ad Scorbutum, aperit, exhilarat, anhelitum fætidum optimè emendat; eſt planta aperiens, ſtomachica, incidens, ſudorifera, in menſis obſtructis & colica flatulenta convenit.

Gymnomonospermæ Capitatæ.

Flos ſimplex uno calice conſtat, & in eo una vel plura petala ſunt contenta. Flos compoſitus eſt, qui conſtat uno calice & diſco communi, in quo hærent multa ovaria cum floſculis

culis innata, hic verò habemus gentem, in qua flos ex uno calice communi conſtat ſupra aliquod ovarium, ex quo iterum calices floſculorum enaſcuntur, & hi ergo floſculi florem conſtituentes æquè calicem habent ac totus flos.

Scabioſa.

Character. Flores ſinguli ſingulo continentur calice, flores marginales in pleriſque ſpeciebus interioribus majores & longiores ſunt, omnes caliculi communi includuntur calice caput referente, ſemen pro flore unicum & capite coronatum. Folia conjugata, oblonga, lata, villoſa.

Nomen à *ſcabie* quia hæc planta ſcabiem curare dicitur.

Vires. Optimè conveniunt hæ plantæ in morbis pectoris, quoties tenax craſſa materia attenuanda & lubricanda eſt, ſi ejus decoctum cum melle potetur in calidis regionibus, eſt optimum; ſemen datur in omnibus febribus violentis, demulcens enim eſt & attenuans, in contuſionibus & vulneribus; & præcipuè ad peſtem & luem Gallicam extinguendam plus valere dicitur quam zarzeparilla, & lignum Guajacum. Vires ejus his verſibus complexæ ſunt.

Urbanus per ſe neſcit pretium ſcabioſæ
Num purgat pectus, quod comprimit ægra ſenectus
Lenit pulmonem, purgat laterum Regionem
Abſceſſus frangit, ſi lotum ſubdita tangit,
Tribus unita feris Anthracem liberat horis.

Quinta

Quinta & ſeptima cutaneis morbis curandis convenit, hincque nomen habet à ſcabie, hujus herbæ quintæ & ſeptimæ infuſum, decoctum, ſuccus expreſſus tutiſſimè adhiberi poſſunt contra Pleuritidem, Peripneumoniam, nam ſuccus eſt ſubviſcoſus, eſt herba maturans, & in his morbis acutis expectorationem promovet; ſed dicetis forſan me eadem laudaſſe in Cichoreo, ſed hoc aliquando nimis ſtimulat, & alvum ducit, & hæc herba eſt mitiſſima, nullo modo calefaciens Octava & Decima dicitur *morſus Diaboli* & in officinis belgicè *Duyvelsbeet*, quia fibroſas habet radices, laterales fibræ inſtar Coronæ in medio abſciſſæ ſunt, Veteres dicunt Diabolum tanquam hoſtem generis humani hanc in Paradiſo momordiſſe ne horum uſus accreſceret, quia ſcivit homini eam tam multum utilitatis futuram, Radix quotannis perit, & autumno nova creſcit, cæterum hæ plantæ ſunt laudatiores quam quinta, aliter eadem virtus, multa verò de aqua ejus ſtillatitia prædicantur, ſed puto non plus virtutis habere quam aqua pluvia. Nona imprimis quoque laudatur ad venenum peſtilentiale compeſcendum. Omnes illæ plantæ præcipue aperientes ſudoriferæ in Variolis, Angina, Tuſſi, Aſthmate, fiſtuloſis ſeu manentibus ulceribus mammarum, crurumque conducunt, externè in pruritu tinea capitis, impetigine, doloribus hæmorrhoidum, & lendibus faciei.

Lychni-Scabioſa.

Sic dicitur, quia facies, caules, Radices, Rami ut in ſcabioſa, ſed calix profundè inciſus

ſus ut Lychnis, nulla vis medicata eſt in hac planta.

Globularia.

Character. Caulis eſt rotundus. Folia Bellidem referentia ſed magis dura, nervoſa, ſaporis amari. Flores in umbellam diviſi. Semina minima ſingulo anno in unâ capſulâ, quæ tanquam calix flori inſervierat; maturuſcunt. Radix eſt lignoſa dura, fibroſa externè coloris rubri, internè albi.

Nomen à *globe*, quia flos hujus plantæ eſt circularis.

Virtus nulla eſt nota.

Cuminoides.

Character. Folia inſtar Pimpinellæ Sanguiſorbæ lobata, inciſa, Flos quinquifidus in capitulum globoſum congeſtus, fimbriatus. Semina ad ſingulos flores ſingularia non bina ut in umbelliferis. Hæc planta habet odorem Daucî. Creſcit in regionibus calidis in montibus.

Nomen à *Cumino*, quia plures Auctores hanc plantam Cum cumino confuderunt.

Vires. In hac planta eſt ſapor Aromaticus odoratiſſimuſque fragor, ſemine odore fragrantiſſimo. Virtus ferè eadem ut de Fæniculo vel Abrotano dixi. Eſt planta aperiens incidens & reſolvens, in retentione urinæ & menſibus obſtructis convenis Statice.

Character. Folia graminea. Caulis quinque petali in capitulum ſcabioſæ æmulum congeſti flores fert plurimos totoque anno durabiles. Radix

Radix longa, ſatis craſſa, rotunda, lignoſa.

Nomen à *ſtare*, quia ſanguinem in Hæmorrhagia narium ſiſtit.

Vires ſunt adſtringentes, hinc ad ſiſtendum nimium fluxum conveniunt, & adhibere poſſunt in hoc caſu, ubi nimia laxitas 2. nimia fluiditas 3. nimium impetus adeſt. Creſcit in montibus & locis humidis.

Dipſacus.

Character. Flos totalis calicem proprium non habet, ſed folia Penanthii æmula capituli baſin cingentia, floſculos etiam ſingulos; folia oblonga in alveum flexa amplectuntur, vel ut ſquammatim diſpoſita; ſemina oblonga, quadrangularia; radix unita, alba.

Nomen. Habet græcum *ἀκὸς γῆς δίψας remedium contra ſitim δίψα* enim ſignificat *ſitis* & *ἀκὸς medela*, quia in foliis ut in capſula (vel ſit tempeſtas calida, vel humida vel ſicca) habet ſemper aquam, quam puto eſſe pluviam à cælo deciduam, vel partim à rore vel partim ex planta ſtillare. qua de cauſa etiam dicitur *labium veneris.* Cum hæc planta æſtivo tempore adoleverit, intractabilis evadit ſua aſperitate.

Vires. Hæc aqua (de qua dixi) commendatur maximè his, qui oculos crudos & lippos habent, in hoc caſu viro cuidam recommendavi, qui hinc maximum emolumentum cepit, nam videtur habere aliquid de virtute plantæ, quæ ad ſcabioſas vires accedit, Capita creſcentia in uſu ſunt ad pannum lanuginoſum ſeu hiſpidum reddendum belgicè dicitur *kaerden.* Radix cum vino cocta in verru-

cis abigendis commendatur, vel in collo suspensa quartanam febrem arcere creditur.

Eryngium.

Character. Capitula squammosa aculeata in summitate unita foliis quam plurimis repentibus, oblongis, latis, villosis. Flores ad umbelliferas referantur, est forma capitulorum conveniens cum Dipsaco. Radix longa digiti crassitie, alba saporis subdulcis & grati.

Nomen. A *græcâ voce* ἠρυγγιον id est *barba capræ.* Quia capitula hujus plantæ, antequam caulis & folia crescunt, referunt barbam capræ.

Vires, Hoc quidem est Gymnodisperma, & hinc deberet quidem referi ad umbelliferas, sed ob habitum nobis videtur hic referendum, Prima & secunda planta sunt maximè aperientes, hinc summi sunt usus, habent succum saponaceum aperientissimum, hinc in sylviana praxi Anglicana tantum non sine ratione laudatur in hypochondriacis melancholicis Succus quodammodo est acris, sed hoc modo potest corrigi melle, & licet sit quodammodo calefaciens tamen in inflammatione optimè convenit. Hic succus est antiscorbuticus, sic nullum do præscriptum medicamentum contra scorbutum, ubi non Radix Eryngii ingrediatur, non est quoque Antinephriticum & vix Litontripticum medicamentum, ubi Radix non ingrediatur, si hanc radicem manducemus, statim stimulum ad urinam deponendam sentimus; ad expurgandum ab amurca sanguinem est in usu & renibus amica est radix si instar Thée potetur. Radix macerata & saccharo condita con-

conducit ad languidum ſtomachum, eſtque inſtar quinque aperientes, diureticosque primaria. Radix ſaccharo condita & comeſta non tam bona eſt ad Gonorrhæam ſimplicem. & menſtrua obſtructa, Icterum, Colicam nephriticam commendatur, uti & ad Venerem excitandam. *Rapinus in hortorum libris quatuor de hac plantâ* canit.

Non Malè tum Graiis florens Eryngus in hortis
Quæritur: hunc gremio portet ſi nupta virentem,
Nunquam inconceſſos conjux meditabitur ignes.
Illo flore Phaon meruit Sapphonis amores:
Credita ſi quondam, ſit adhuc credenda vetuſtas.

Eſchinopus.

Character. Flos perfectè eſt ſphæricus, & ſinguli flores ſuperius in anguſtias lacinias dividunt, & calice ſquammoſo ſuſtinentur.

Nomen ab ἐχῖνος *Erinaceus*, quia capita hujus plantæ hoc animal referunt, & ita intractabila ſunt.

Vires In medicina non laudatur, ſed tamen eſt planta balſamica, glutinoſa, hinc videtur eaſdem vires habere, quæ de talibus plantis laudantur.

Carduus.

Character. Capitulum ventricoſum, ſeu in protuberantem ventrem aſſurgens, floribus ſingulis fiſtulis ad ſuperiora multifidis, vel lanciniatis.

niatis. Semina pappoſa, tota planta lacteſcit, & omnibus partibus ſpinis horrida eſt. Radix eſt longa, craſſa, ſemina cum Carduo Benedicto omnino conveniunt.

Nomen. *Carduus Mariæ* dicitur *decima à fabula*, *Mariam cum Servatore fugientem lac in eam plantam ſtillaſſe.*

Vires. Omnes cardui decocti præbent nutrimentum aperiens, imprimis caules excorticati & decocti, cocta enim planta miteſcit, verum nomen Polygalæ meretur, quia lacte abundantiſſimo ſcatet, & omnibus animalibus lac fundentibus augentem copiam ſui ſucci nectarei præbet, *Boyleus* imprimis in omnibus morbis ubi attenuandum, & demulcendum eſt, hanc plantam laudat, ſi mel addatur ſucco, in Pleuritide & ſcorbuto in Anglia adhibetur, ſemina ſunt aromatica calida & ſpecifica in inflammatione, unde nunquam tractetur Pleuritis, quin in longo potu præſcribantur. Emulſio ex ſeminibus fit addito ſyrupo v: g: capillorum veneris. Ad fluorem album hæc planta ſpecifice commendatur. Decima octava Onopoidon dicitur ab ὄνος *aſinus* & πέδω *crepo*, quia ab aſino dicitur amari, qui inde crepitus mittit, nam eſt carminativa planta, & omnes fere ſunt carminativæ, aperientes, nam ſuccum habent lacteum ſunt etiam vulnerariæ, & febrifugæ, ſuccus hujus plantæ eſt optimus in febribus intermittentibus, & in vulneribus, Cortex hujus plantæ vino infuſus conducit in colicis nephriticis. Ejus ſuccus eſt optimus in hydrope & morbis pectoris à glutinoſâ materiâ or is, in Cachexia, Ictero, & Dolore Iſchiatico.

Aqui-

Aquifolium.

Character. Est arbuscula, quæ sæpe ad arboris altitudinem crescit, ejus truncus & rami sunt flexiles, habentes corticem duplicem viscosum externè griseum aut viridem, adoris ingrati, lignum est durum, compactum, ponderosum, album in sua substantia, in interiori parte nigricans. Folia sunt ampla laurum referentia, dura in circumferentia multis punctis instructa, coloris viridis splendentis, cauli parvo adhærentia. Flores ordinario uno singulo folio instructi. Fructus sunt baccæ rotundæ, molles, rubræ, saporis subdulcis ingrati quatuor officula aut semina oblonga in se habentes, crescit hæc arbuscula in locis incultis.

Nomen. *Aquifolium* vel *Agrifolium* ab ἀκὴ *acumen*, quia folia multis acuminibus sunt instructa. Crescit in Angliâ, Galliâ & Hispaniâ.

Vires. Omnes hæ Arbores succum habent amarum, luteum & calefacientem; hinc Empirica medicina cum hoc succo in Cerevisia multos ab Ictero sanavit, ejus cortex & Radix sunt emollientes, resolventes, ut *Matthiolus* dixit, hinc in tussi inveteratâ conveniunt, *Dodoneus* baccas in colica laudat. Ex Cortice Gluten conficitur ad aves capiendas. In horti culturis commendatur pro omni calefaciente, quo in anglia pro scorbuto usurpantur.

Cirsium.

Character. Omnia sunt eadem ut in Carduis. Differt spinis mollioribus.

Nomen à κίρσος *varix circa intestinum ultimum, id est Hæmorrhoides seu inflammatio ani*, quia solet adhiberi ad hos curandos imprimis prima secunda, tertia & quinta, si folia contusa huic loco applicentur; hinc ex ejus nomine intelligitur virtus.

Cinara.

Character. Capitula magna valde squammosa, rigida, dura ad esculentam coronam latam & crassam carnosam unguibus edulibus affixa post spinas explicatas aperiunt scilicet semina plurima pappis instructa ad extremitates spinarum, spinæ sunt validæ, Folia sunt insigniter amara, ut si manibus tractentur, ita infestat ut Colocynthis.

Nomen. Cinara juxta sententiam nonnullorum est nomen alicujus puellæ, quæ fabulæ dicuntur esse mutata in hanc plantam. Vel à cineribus ita dicitur, quia hæc planta in locis ubi cineres sunt aspersi, multo melius crescit. Vocatur etiam scolymus à σκολιὸς *asper*, quia hæc planta est aspera. Dicitur & Carduus; hinc rationem videtis, cur Cardui habiti sunt eduli.

Vires. Succus plantæ nondum penitus maturæ est amarissimus & penetrantissimus; hinc *Lowerus* narrat se hinc vermes in Pericardio dissipasse, impositis nempe foliis Cinaræ, Tanaceti, Absynthii vulgaris aceto & vino albo acerrimo incoctis & cum pauco mithridatio mixtis formâ Cataplasmatis Regioni Cordis applicavit; unde perfectè æger fuit curatus, quod id verum esset, apparuit in cadavere dissecto, ubi in Pericardio observavit vermes, & similia ac in illo vivente notavit signa. Nullæ

sunt

ſunt epulæ quæ non ornantur à Carduis, uti olim dictum eſt, ſed facilè videtis hoc non eſſe Carduum, ſed Cineram, eſt egregium nutriens ut & ſucculentiſſimum, ſtimulat in venerem viris æquè ac fœminis, ita ut quoque in campo venereo defatigatis ſtimulum addat, inter reſolventia laudatur. Folia contuſa & decocta formâ cataplasmatis applicantur abdomeni in Hydrope, pariter & Ædemate ſummopere laudantur.

Carthamus.

Character. Eſt planta ad altitudinem duorum pedum creſcens, calix unicus, rectus, rotundus, lignoſus, durus in parte ſuperiori in plures ramos diviſus. Folia oblonga, mediocriter lata, acuta, venoſa, ad eorum ambitum multis ſpinis inſtructa, ſummitates ejus habent multa capita deſquammata, avellanæ craſſitie, alba, foliorum capitulo inſtructa. Hiſce capitibus expanſis apparet florum faſciculus coloris rubri referens crocum. Hiſce floribus delapſis apparent ſemina oblonga, nuda, aliquantulum craſſa, polita, ſplendentia corticem durum habentia, & plena medullâ albâ, dulci, oleoſâ poſtea acri & nauſeoſâ. Radix eſt parva. Flores Tinctoribus inſerviunt ad colorem rubrum conficiendum.

Nomen. A *καθαίρειν purgare*, quia ſemina hujus purgant.

Vires. Flos à nonnullis colligitur, & in formam croci paratur, eſtque ſuppoſititius crocus non ita bonus, multæ aviculæ veſcuntur his ſeminibus abſque purgatione; hinc quia vis languida ſatis, rarò uſurpatur; ſemen eſt

amariſſimum; hinc convenit, ubi purgandi ſunt humores frigidi & pituitoſi, ſed ubi eſt nimis calor, non convenit; verum ſemina pleraque medullam non habent; hinc hodie dicuntur hæc non purgare, ſed ſi ſemina decortica præſcribantur, tum ſatis fortiter purgant; ob lentorem ſubdulcem, cui vis purgans incluſa eſt, convenit Catharticum tuſſientibus aliisve vitiis Pulmonum laborantibus. Semina ad uncias tres vel quatuor contrita & decocta purgant & movent craſſiores humores, ſemen eſt valde calidum, cæterum eadem ac de Caltha dixi hic conveniunt, inde fiunt ſyrupus, & tabellæ, & extractum Diacarthami.

Cnicus.

Character. Caulis ad trium vel quatuor pedum altitudinem creſcens, digiti craſſitie, ramoſus, albeſcens, lanuginoſus. Folia oblonga, lata, acuta, ſpinoſa, punctis albis inſtructa. Radix eſt longa, craſſa, eſculenta. Reliqua in omnibus cum præcedentibus conveniunt, differt tantum ſemine pappoſo.

Vires. Carduus Benedictus eſt in uſu univerſali, eſt planta penetrantiſſima amariſſima, longe plusquam Abſynthium, ſed cito perit ejus amarities, vis eſt purgare, vomitum excitare, ſudorem urinam Diaphoreſin movere, & violenter & leviter; ſi modò dentur ejus plantæ unciæ duæ vel tres, vomitum cient, hæc planta cum aliis medicamentis miſta non bene cedit, tum ſuberbibendum eſt infuſum; ſudores etiam ciet; ſi ſtomachus lentâ pituita ſit obſeſſus, prodeſt. Si cutis perſpirabilis reddenda ſit, tum

tùm folia melle contrita extrinsecus applicata egregii sunt effectus; si comburatur herba, dat plurimum salis alcali. Hæc planta est amarissima instar lapidis pedro del porco Hystricis, ita ut ego comparando hujus infusum cum illius lapidis Hystricis vix ullam differentiam inveni, est herba sale copiosissimo prædita, ut in Absynthio, & in omni morbo, ubi bilis deest, est optima, nam ejus defectum quodammodo supplet, si vino cum æquali copia aquæ infusa bibatur, omne acidum corrigit, sudores provocat, si verò majori copiâ sumatur, vomitum facit, si vero mediocri copiâ, tum alvum ducit, & diuretica est, sic ut omnes evacuationes augeat vel minuat, non credo tamen convenire in morbis siccis, nisi cum aceto vel vino Rhenano misceatur, hæc quoque dicta maximè sunt intelligenda de quinta & sexta. Hic non video rationem, cur sal adeo laudatur præ alio sale, vel sal fabarum, nam hæc salia omnia sunt æquè bona; hinc potius ex viliori herbâ parari potest, inde fit aqua, quæ nullius fere virtutis est, aqua verò ejus fermentata aliquantulum melior. Succo inspissato additur saccharum; sicque inde fit syrupus Diacnici. Vel folia exsiccata servantur usui. Planta hæc contra febres intermittentes laudatur, eosque omnes curat, præsertim si herba ipsa in aqua ejus destillata solvatur addito sale suo, tum si hoc medicamentum assumat æger bihorio ante paroxysmum febrilem, tum hoc remedium vomitum excitat, & quando febris adesse debet, tum æger ab hoc medicamento valde sudat, hocque modo quartana vel tertiana optimè tollitur; externè ad ventriculum applicata prodest, uti & ad Gangrænam arcendam.

Jacea.

Character. A Carduo differt capite non ſpinoſo. Caulis ſtriatus, lanuginoſus, fortis. Radix craſſa, lignoſa, ſaporis adſtringentis, reliqua planta eſt ſaporis ſubdulcis non ingrati.

Nomen. A *jacere*, quia humi ſæpe jacet.

Vires. Eſt planta adſtringens, vulneraria, abſtergens, incidens penetrans, conducit morbis faucium in Gargariſmate, uti in Aphthis, externé in Herniis, in Pruritu, Scabie, & abſtergendis ulceribus convenit.

Centaurium Majus.

Character. Caulis rotundus, rectus, ramoſus. Folia magna, oblonga, in multis, partibus diviſa. Capitula Jaceæ majora. Semina oblonga, ſplendentia. Flores ſunt majores. Radix longa, craſſa, recta, carnoſa, extus nigricans, intus rubeſcens, ſaporis dulcis poſtea adſtringentis & acris. Creſcit hæc planta in montibus.

Nomen. A *Centauro Chirone*, qui hac planta à vulnere pedis curatus eſſe dicitur. Vocatur etiam *Rhaponticum*, quia multis habetur pro Rhapontico purgante id eſt Rhabarbaro ut & folium terræ, quia eſt planta amara & lutea.

Vires. Eſt planta pulcherrima, quæ videri poteſt, habet calicem argenteum floremque aureum. Radix ejus eſt amariſſima & balſamica; hinc ejus virtutes intelliguntur, an verò ſit Rhaponticum veterum eſt difficile dictu, nam multæ fraudes in his à mercatoribus lucro

cu-

cupidis, ut quoque in aliis committuntur, nam audivi ex tali mercatore eum ad Afiam Lapathum noftrum mififfe, & iterum ex afia hanc eandem Radicem accepiffe, ut vendere poffet. Radix purgans & aperiens, ad uncias tres in vino cocta curat omnes morbos à retentione urinæ ortos, conducit in arthritide & febribus Reliqua vide in Rhabarbaro cum quo convenit, Radix infufa & epota mire prodeft Hypochondriacis, expellit materiem & roborat fibras.

Serratula.

Character. Folia funt oblonga, ampla, Betonica majora, incifa. Caulis ad altitudinem duorum pedum crefcens, rectus, ftriatus, rubefcens, in parte fuperiore in multos ramos divifus, folia incifa fcabeofam referentia; Radix fibrofa faporis amari.

Nomen fic dicitur, quia folia funt inftar ferræ, rufticis belgicis dicitur *Kruypen*, quia fi ejus femina in indufio pueri ponantur, tum per totum indufium ferpit, & fi ingeratur hæc planta, eadem accidunt.

Vires. Eft optima planta in contufionibus, doloribus Hæmorrhoidum & Herniis.

Cyanus.

Character. Caulis multifidus, angulofus, lanuginofus, excavatus, ramofus, albefcens. Folia lata, oblonga, incifa in margine Dentem leonis referentia, villofa. Flores in fummitate ramorum crefcentes, magni, ampli, circulares, profundè diffecti. Semina multa,

oblonga. Radix minima, lignosa fibrosa. Crescit inter segetes. Gallicè vocatur *bluet*.

Nomen à cyaneo colore, quia hujus plantæ flores sunt ferè semper cærulei. Belgicè dicitur hæc planta *koornbloemen*.

Vires. Flores ejusdem sunt virtutis ac flores Borraginis & Buglossæ, potentius tamen urinam pellunt, ideo in hydrope conveniunt; & conducunt debilibus oculis, flos contusus & forma cataplasmatis oculis inflammatis applicatus prodest, vel in aquâ pluviâ infusus & postea destillatus, tum aqua inde educta & oculis instillata est summum senibus solamen. Hic Flos tanquam Cardiacus ad lippitudinem, & rubedinem palpebrarum optimè convenit, & homines ferè cæci ex debilitate inde sanantur. Succus ex flore expressus & bene depuratus resolvit omnes oculorum inflammationes, reficit, humectat, corroborat, sæpius hoc pro collirio utor. Hi flores tempore idoneo in umbrâ sunt exsiccandi; vel in eodem casu recenter cum saccharo optimo tantum commendantur; hi flores instar Thée infusi sunt optimi. Dolendum est quod tam rarò usurpentur, nec in officinis habeantur. Folia hujus plantæ in Cerevisia cocta conducunt in Ictero & retentione urinæ. Aqua ejus destillata in infantium dentibus erumpentibus convenit, si gingivæ hac aqua humectentur, folia in pulverem contrita in Erysipelate sunt optima, uti & eorum decoctum in mensibus obstructis.

Lappa.

Character. Caulis rectus, lanuginosus, angulosus, rubescens. Folia magna, ampla, in su-

superiore parte viridia, fusca; in inferiori albescentia, lanuginosa. Capitula rotunda, spinosa spinulis hamulos conficientibus recurvos. Semina oblonga, crassiuscula, fusca, striata, saporis subamari, subacris; odoris nullius. Radix crassa, oblonga, intus alba, foris nigricans; saporis subdulcis, acris & amaricantis, adoris fere nullius; crescit juxta vias.

Nomen. à Βάρδος *via*, quia hæc planta juxta vias invenitur, *Personata* quia ex foliis pueri Rusticorum conficiunt *maskers.* *Lappa* etiam vocatur à λαβεῖν *capere*, quia vestibus adhærent unculis suis, belgicè dicitur *klutten* vel *kleffen.*

Vires. Ego hæc semina jejuno stomacho examinans per infortunium deglutivi, inde per tres vel quatuor horas erat quasi aciculis æsophagus meus continuò pungeretur, sed hoc evitatur, si intra pannum crassum fricentur, & dein leviter lavata iterum exsiccentur. Radix justo tempore fossa est optimum detergens in inflammatoriis & chronicis febribus conveniens; hinc habetis medicamentum, de quo medici nunquam multum sunt solliciti, nempe aperiens & non stimulans, hoc & de foliis caulibus verum est, nam & tuto in morbis inflammatoriis dari possunt; folia hujus herbæ fuere arcanum mulieris Empyricæ, quæ in Epidemia febre Haarlemensi tantum famæ accepit, ut omnibus medicis fuerit antepofita; hinc multi ægri ad eam accessere, qua de causa multum hujus herbæ requirebatur, ita ut arcanum non diu latere potuit. Sic & in Colica & Ileo est optima planta, Rustici sumunt folia & sic epidemicè hunc morbum solvunt, uti in pedibus œdematosis foliis impositis tumores optime dissipantur Succus hujus contra morsus Viperarum, Ves-

parum, & omnium venenatorum animalium prodest; Radix idoneò tempore effossa eandem virtutem ut scorzonera habet, sed paulo acrior & aromatica. Caules recentes decorticati in jusculis incocti optimum dant esculentum. Folia Caules & Radices in lacte decocta egregium dant medicamentum in morbis continuis, contra Scorbutum, Febres intermittentes, Podagram, Pituitam, Luem Veneream, quæ vaga est in humoribus, nec sedem adhuc fixit, eosdem effectus habent, cum Zalzaparilla decocta etiam convenit, habet vim lenissimè penetrandi & morbum sanat equis familiarem *de Droes* dictum, id est Peripneumoniam, semina contusa ad unciam dimidiam vel unciam unam dantur hominibus & equis in hisce casibus, præsertim si cum melle edulcorentur; in Colica pituita vel aqua pulmones obruente egregiè convenit, lumbricis expellendis etiam prodest. Est planta diuretica, sudorifera, antihisterica, febrifuga, vulneraria, pectoralis, parum adstringens, Flores & Radices in Pleuritide conducunt, uti in Renibus à calculo obstructis; in sputo sanguineo & vulneribus inveteratis ulcera mundificant, Folia in lacte cocta & forma cataplasmatis adhibita Podagricis prosunt. In scrophulis a scabie est planta optima; sudorem movet, & sanguinem extravasatum resolvit, in Phtysi, Arthritide & Atrophia est optimum remedium.

Sambucus.

Character. Flores & fructus in umbellam aut racemos collecti, ramis plurima medulla refer-

refertis cum pauco ligno, granis in baccis plerumque ternis.

Nomen. à *Sambuca* quæ erat instrumentum Musicum ab hoc ligno factum, quo utebantur veteres, alii auctores dicunt hoc nomen derivari à Sandix, qui hanc arborem primò invenit; hæc arbor græcè dicitur ἀκτὴ, unde baccæ *grana actes* vocantur; in hac arbore sæpe fungi dicti *auriculæ Judæ* inveniuntur.

Vires. Radix rasa in scobem & vino infusa ad unciam unam aquam purgat in magnâ copiâ, in Hydropicis & urina ducenda conducit, succus sursum deorsumque purgat & sanat Hydropicos. Corticis mediani succus expressus in mortario vitreo ad dragmam unam vel unciam dimidiam est hydragogum omnium optimum, si homo suffocatissimâ hydrope laboret, modo sana adhuc sunt viscera, semper inter aliquot dies sanat; humores ita solvit, ut corpus undique diffluat aqueis rivis, & mox homo à magnâ subitâque evacuatione deficiat; Cortex ex Radice desumptus est multo melior, & pro optimo habetur; *Dioscorides* dicit, quod ejus folia vel summitates omnes humores serosos evacuant, proinde Hydropicos curat; in passionibus hystericis, inflammatione, combustione, viperarum morsu, & Podagra conveniunt. Idem auctor corticis medii succum in lacte vel vino infusum dabat peste laborantibus ad sudorem eliciendum, *Bauhinus* hunc succum ter te die ad unciam unam & dimidiam hydropicis magno cum fructu præscribebat. Folia contusa benignissima sunt ad omnes tumores scirrhosos & inflammatorios dissipandos, uti ad podagricos dolores sopiendos, tumoresque aquosos discutiendos; hinc etiam Herniæ aquosæ

aquosæ conveniunt. Flores benignissimi sunt, instar potus Thée infusi in omni morbo calido æstuante, varioloso, & morbilloso conveniunt, hi recentes frixi cum butyro exhibentur ad alvum blandè subducendam, si in sero lactis coquantur, Hydropicis conducunt, horum decoctum est optimum remedium in lacte mammarum augendo; extrinsecus in Erysipelate & Phlegmone, Cæphalalgia & nimiis vigiliis applicantur formâ siccâ vel humida, ob demulcentem virtutem blandum somnum accersunt, ex floribus fiunt conserva & syrupus, quæ in clysteribus adhibentur; summitates hujus plantæ ad menstrua provocanda prosunt, flores etiam in omni morbo cancroso scirrhoso, dolore colico, & quartanâ curandâ conducunt. Baccæ præbent Rob in chronicis & acutis morbis meritò polychrestum, si sit dissolvendum seu aperiendum per alvum, per urinam, per sudores, si modò diversimodè determinetur; non enim inveni ullum solamen cancri quam flores hi, fuit aliquis senex, qui ultra centum & viginti quinque annos vixit, ille habuit pro suo arcano hoc Rob sambuci, & varias contagii tempestates feliciter supervixit, nullo medicamento usus est nisi quod omni die aliquid de Rob Sambuci sumpserit, neque ulli alteri rei tantæ ætatis felicitatis tribuere potuerit: ejus extractum est optimum in passionibus Hystericis, baccæ Dysenteriæ & omni Diarrhææ prosunt; ejus oleum Podagricis est magnum solamen, Folia vel cortex medius cum oleo formâ unguenti decocta conveniunt in Hæmorrhoidibus, Podagra & combustione; Caules & folia tenera vomitum

faciunt

faciunt & purgant. Semina contusa ad unciam dimidiam dolores ventris lumbricosque tollunt. Cortex exterior adstringit. De hac arbore integer liber est conscriptus, medulla hujus exsiccata & tosta conducit in ulceribus madidis.

Gymnodispermæ Stellatæ.

Rubia.

Character. Caulis longus, quadrangularis, nodosus, asper, Folia oblonga, lata, caulem in formam stellæ ambientia, numero incerta, aspera. Flores in summitate ramorum crescentes, petalis adhærentes, Baccæ nigræ se invicem adhærentes, succo plenæ, singulæ baccæ includunt semen obrotundum. Radix est oblonga, numerosa, succulenta, repens, tenuis, non crassa, in multis ramis divisa, lignosa, extus & intus rubicunda, saporis ex dulci amaricantis & adstringentis, odoris nullius.

Nomen. à *rubro colore Radicis*, quia hujus plantæ Radix rubrum colorem tingit, & etiam rubra est. Prima *Erythodanum* ab ἐρυθρὸς, *rubens* & δάνον *aridum lignum*, quia ejus radix rubra, lignosa, & sicca; hæc maximè laudatur, & inde panni tinguntur, dicitur belgicè *krapmèe*, *vel meekrap*, vocatur etiam *Rubia Tinctorum*, si inculta nascatur, parum rubedinis habet & ad usum Tinctorum minus apta, adfertur ad nos ex Silesia, ubi copiosè colligitur, crescit in locis humidis. Radix mense

majo

majo & Junio effossa siccatur ad hanc melius conservandam.

Vires. Prima Radix officinalis laudatur à sua virtute aperiente, sanguinem grumosum resolvente, succo solvente, ut omnes Auctores censuerunt; hinc omnes ægros, qui ex præcipiti loco delapsi vel contusionem in corpore acceperunt, sanat; Radix vino, cerevisiæ, vel aquæ incocta dat potum, qui aperiendo & roborando agit in utero, melancholia, sabulo renum; Ictero morboque Hypochondriaco, sanguine coagulato, Hydrope, & contusione, urina obstructa præsertim si hæc decocta melle edulcorentur, & per aliquot dies successivos usurpentur, alii plantam summopere adstringentem esse dicunt, sed tamen inter resolventes accipitur. Panni inde rubro colore tincti & gesti supra corpus nudum podagricis & arthriticis prosunt.

Mollugo.

Nomen. à mollitie sic dicitur, quia ejus folia sunt valdè mollia, tota planta ad Rubias accedit, quoad habitum, sed mollis est intus & vis aperiens inesse dicitur.

Gallium.

Character. Caulis debilis, repens, quadrangularis, ramosus, fragilis, nodosus, excavatus, Folia oblonga, acuta viridia caulem simul ambientia. Flores numerosi, parvi, albi in quatuor partes divisi. Radix lignosa, extus subrubra, intus alba, fibrosa, Baccæ post florem geminæ sed siccæ lunares, hæc planta crescit in locis arenosis.

Nomen.

Nomen. *Gallium* à γάλα *lac*, quia recens ſuccus lac coagulare dicitur.

Vires. Eſt planta adſtingens, conducit in Hæmorrhagia narium ſedanda, in ſcabie maligna & ſimplici, adeoque in cancro mammarum. Folia ejus ut Thée infuſa optima ſunt in Epilepſia, Podagra. Syrupus ex florum ſuccis confectus eſt aperiens & provocat menſtrua. Multi Europæi hac planta utuntur ad coagulum lacti inducendum, & eſt æquè bonum, ac quod vulgò adhibetur; laudatur ad omnia, quæ de Rubia dicta ſunt, & ſic in officinis recipitur, hæc planta dicitur eſſe vulneraria, quod puto modo hoc reſpectu verum eſſe, quatenus ſanguinem nimis fluidum cogit.

Cruciata.

Character. Caulis tenuis, mollis, debilis, quadrangularis, nodoſus, villoſus. Folia oblonga, villoſa, parva, caulem ita ambientia, ut crucem forment. Flores parvi, umbellati, coloris fuſci. Baccæ poſt florem geminæ, ferè ſpæricæ cutim ſiccam, & villoſam habentes.

Nomen. à *cruce* quia folia ſunt diſpoſita ad formam crucis, id eſt quatuor folia ſibi oppoſita ad unum nodum habentia.

Vires. Hæc planta licet non laudetur in medicina, tamen dicitur eſſe vulneraria & adſtringens, & optimè conducere in Herniis, ſi folia ejus decocta externè forma cataplaſmatis adhibeantur. quidam auctores hanc in cephalalgia commendant.

Aſperu-

Asperula.

Character. Folia aspera. Flores in summitate caulis crescentes in quatuor partes incisi coloris albi; semina parva, gemina, in calice contenta, ferè rotunda, in medio excavata. Radix minima, fibrosa, in terra repens. Est planta asperior mollugine, minus Rubia.

Nomen. ab aspero, quia est planta aspera imprimis circa caules; dicitur belgicè *sterren kruyt*, vel *lieve vrouwe bedstroe*, nam in lectis nuptialibus vel in stramine succumbente spargitur; vocatur etiam Rubia montana odora.

Vires. Est planta suavissimi odoris, & dicitur culcitra virginis injicitur cistis, ubi vestimenta ponuntur, suavissimum odorem conciliat, tineas & blattas prohibet, virtus cardiaca laudabilis à veteribus inesse dicitur, quod etiam facilè odor docet, viresque aperientes quoque habet; est planta amicissima puellis, quia habet suaveolentissimum odorem ita tenacem, ut per annum servari potest; Folia decocta vel infusa in menstruis obstructis ictero & partu difficili conveniunt; Flores Epilepsia & Paralysi laborantibus prosunt. Hæc planta externè vulneribus applicata est optima.

Aparine.

Character. Caulis parvus debilis, quadrangularis, flexilis, aliis plantis adhærens, asper, viridis. Folia parva, lata, oblonga, viridia, Rubiam referentia, caulem stellæ forma ambientia, horridis suis spinis vestibus adhærentia. Flores parvi, in spicas congesti, in quatuor par-

partes divisi, bacca post florem succedit, duo semina ferè sphærica, se invicem adhærentia continens, hæc semina in medio sunt excavata, cutim siccam nigram, & pulpam albam continentem habentia. Radix est valde parva.

Nomen. Hæc planta ita dicitur, quia est valde asper. Vocatur *Philolephos* & *Philanthropon*, à φιλέω *amo*, & ἄνθρωπος *homo*, quæ nomina significant plantam, quæ amat hominem, quia si quis per inculta loca incedit, tum hæc planta se ejus vestimentis non solum applicat, sed ea retinet, quasi hominem amabili vinculo vincere vellet; vocatur etiam *Omphalocarpon*, ab ὀμφαλὸς *umbilicus*, quia hæc semina umbilicum referunt. Belgicè vocatur *kleef.*

Vires. De horum usu in medicina nil constat, nisi quod Rustici plantam in pultem contusam in vulneribus ponant ad sanguinem sistendum, sed hoc plures plantæ faciunt.

Rubeola.

Character. Caules plurimi, tenues, quadrati, repentes. Folia Caulem ambientia, lata, splendentia. Flores in summitate ramorum crescentes, parvi, in quatuor partes divisi, coloris rubri, aliquando albi, Jasminum referentes. Semina bina se invicem adhærentia, aspera, oblonga, pulpam albam continentia. Radix fibrosa, longa, lignosa, crassa, nigra. Flores sunt in spicas congesti. *Rai* addit, quorum singulis singula successivè succedunt semina.

Nomen. *Rubeola* quasi *Rubia parva*, quia hæc planta parvam Rubiam refert. Vocatur etiam *Cynanchica* à *Cynanche Angina*, quia hæc planta Anginam curat.

Gym-

Gymnotetrasperma Verticillatæ.

Gymnotetraspermæ quia poſt ſingulos flores in calicis fundo expanſo hærent ſemina ſequentia, ſtylos, flores. Flos monopetalus eſt, ſuperius galba dicitur, inferius labii ad margines alæ ſunt: *Verticillatæ*, quia flores circa caulem orbiculatim oriuntur, & quia uno orbe facto alius fit in faſtigium uſque. Verticillatæ in tres lineas dividuntur, prima labium & barbam habet, flos monopetalus ſemper, ſed ſi ſuperior pars conſpicua ſit, tum galeata inferior eſt barba vel labium; dicuntur laterales partes vel fauces; ſecunda ſi Galeam vel labia habet, tum dicuntur galeatæ vel barbatæ ſeu labiatæ, Tertia ubi flos monopetalus, ſed non galeam, nec barbam habet apparentem.

Lavandula.

Character. Caulis lignoſus, durus, quadratus. Folia oblonga, albeſcentia. Flores parvi, in ſummitate ramorum creſcentes, in ſpicam oblongam tritici æmulam congeſti, coloris cerulei. Semina poſt flores parva, oblonga, incluſa capſulæ, quæ flori tanquam Calix inſerviit. Radix lignoſa.

Nomen. A lavando, quia in balnea injici ſolent ob odoris fragrantiam, vel quia omnes ſpecies in lixivio adhibentur, ad fragrantem odorem induſiis conciliandum, & quia optima lavacra præbent, quibus deterſâ facies pulchritudine nitet & ſuaveolet. Spica quoque dicitur, quia ſola ſpicas gerit inter omnes

omnes has verticillatas plantas, nardus plurimis vocatur, & fortè vera eſt nardus veterum, quod non diſputarem, ſed tamen de hac re nulla eſt certitudo.

Vires. Inter Cephalicas plantas eſt Princeps, ſi cerebrum & cor ſit languidum, tum excitat, hinc convenit in Lethargo, Apoplexia, Paralyſi, & Epilepſia, inde fiunt aqua, ſpiritus & oleum pretioſum, laudatur ad morbos virgineos. Ex floribus fit conſerva, quæ nobiliſſima eſt contra omnes morbos cephalicos, frigidos languido, ſpiritus excitat, in calidis morbis calefaciendo obeſt, eſt planta Emmenagoga, Ariſtolochica valida, ſed maximè congruens capiti, uſus optimus eſt, hocque modo fit conſerva, flos matutino tempore, & ſereno cælo carptus æquali copiâ puriſſimi & ſicci ſacchari contundatur, tum conſervetur vaſculis figulinis, quia verò eſt planta ſemper virens, ideo optimè recens ſumitur, nam tum maximum habet vim. In omnibus lavendulis odor eſt fragrantiſſimus, ſuaviſſimus, & reficientiſſimus, ſed ſapor eſt amariſſimus & penetrantiſſimus. Notandum verò quod oleum inde factum vocatur oleum ſpicæ, ſed illud plerumque fit in officinis cum Therebinthina, & aqua additur floribus, verum tum odor florum conciliatur therebinthinæ, ſed non omnis virtus, & hinc modo oleum therebinthina ſpicatum eſſet dicendum, verum oleum ſpicæ deberet ex ſolis floribus cum aquâ fieri quod virtutibus cephalicis, uterinis & nervinis roriſmarini floribus multo præſtantior & penetrantior ſit hæc planta. probat primò oleum ejus deſtillatum, ſecundò, ſalivatio, quam flores & folia maſticata excitant, hinc in ſoporoſis

rofis & Catarrhofis morbis valde laudatur; ſi Phrenitidi ab inflammatione ortæ detur lavendula, tum hæc planta procul dubio ægrum necat, fenibus verò vertiginofis ſeu morbis ab inertia ortis prodeſt. In menſibus obſtructis, urina, fætu pellendo ac flatibus & torminibus ventris diſcutiendis eſt planta optima.

Stæchas.

Character. Eſt planta referens arbuſculam, Caulis multus, lignofus, in ramos diviſus. Folia Lavandulam referunt, ſed non tam magna, lata, alba ſpiſſa craſſa, denſa, pileolis ſquammofis umbricata, cum foliis in cacumine coloratis. Semina ferè rotunda, nigricantia, in capſula, quæ flori tanquam inſerviit incluſa, Radix lignoſa Tota planta eſt odoris aromatici, ſaporis acris ſubamari; creſcit in locis aridis & ſabulofis.

Nomen Stæchas ab inſulis in mari mediteraneo è Regione maſſiliæ ejus nomine dicta Gallis, ubi hæc prima planta eſt inventa, in officinis dicitur *ſtæchas Arabica*, non quod ibi creſcit, ſed quia Arabes Medici maximè hanc herbam commendarunt; *Tournefortius* eam vocat *Lavandulam*, ſed ſpicæ in ea ſunt foliaceæ, hinc malè.

Vires ſunt in ea paulo graveolentiores, quam in Lavandula, aliter ab iiſdem virtutibus laudatur ad eoſdem morbos, ſed paulo magis calefacit; hinc ſyrupus Stæchados tantopere ab Arabibus Medicis laudatur, ut nullum medicamentum Cephalicum præſcripſerint, quin ingrederetur, ſed ſyrupus ille, ut vulgò præparatur, non habet vires, quia actuoſum co-

quen-

quendo perit; hinc Conserva vel aqua destillata, vel si simpliciter hæc planta cum aquâ decocta potetur, optimas habet vires, si contundatur & succus inde sine exhalatione exprimatur, tum non est melior planta ad cerebrum roborandum; odor est gratissimus & fragrantissimus. Est planta antihisterica, aperiens, attenuans, diaphoretica, detergens, incidens; hinc in menstruis obstructis, & urinâ retentâ, cephalalgiâ, & melancholiâ convenit; sanguinem coagulatum resolvit, in Theriaca ingreditur, Catharros excitat, commendatur imprimis ad humores acres pulmonum excitandos, lumbricos necat, extrinsecus est optima planta ad uteri duritiem emolliendam, & caput roborandum in Apoplexia.

Stachys.

Character. Caulis crassus, nodosus, quadratus, albus, villosus, intus medullam habens, Folia se invicem opposita, tomentosa, lanuginosa, in margine incisa, odoris ingrati. Spica stæchados paulo laxior, villosa, purpurea, aliquando alba, florum labio superiori erecto in inferiori trifido. Semina obrotunda, nigricantia in capsula, quæ flori tanquam calix inservit, inclusa. Radix dura, lignosa, fibrosa, fusca, tota planta est odoris penetrantis; crescit in montibus, & in locis incultis.

Nomen. A σάχυς *spica*, quia flores hujus plantæ spicam referunt.

Vires. Omnes hæ plantæ valde fætent, & graveolent; hinc omnes sunt Antihystericæ, Antiapoplecticæ & Antipilepticæ; cæterum convenit prioribus, odor est ingratus.

Betonica.

Character. Folia oblonga, ampla, nervosa, viridia, in margine incisa, rugosa. Caulis quadratus, rugosus. Flores in verticillos deinde ad superiora in spicas digesti, coloris purpurei. Galeâ erectâ, imbricatâ, bifidâ, barbâ trifidâ, segmento medio bifido, majore. Semina oblonga, in capsula, quæ flori tanquam calix inserviit, inclusa. Radix crassa, fibrosa. Crescit in hortis ac pratis.

Nomen. Betonica à *Vetonica* (ut à veteribus Romanis & Hispanicis vocatur) qui erant veteres populi Hispanici, qui hanc invenerunt plantam; dicitur etiam *κεβρον* ab *ἀκεομαι medeor*, quia hæc planta est in usu in medicina.

Vires. Nulla est planta magis laudata, qua de causa *Antonius Musa* integrum de ea scripserit libellum, estque omnium medicatarum plantarum Princeps. Hæc herba habet aromaticum viscoso lento obducente & prægnante succo, saponaceo molliori liquefacit maximè, & aromatica blanda vi excitatur egregiè. Folia contorta & naribus indita sunt sternutatoria, & maximam pituitæ copiam subducunt, ut veteres norunt, ubi mucus erat purgandus. Flores, summitates, folia idoneo tempore lecta & instar potus Thée usurpata contra Vertiginem, Paralysin, Apoplexiam, Scorbutum, & contra omnes morbos à debilitate cerebri ortos, roborat cerebrum & viscera, in calidis morbis etiam optimè potest usurpari, nam non calefacit. Radix si ad unciam unam vel duas sumatur stomachum perturbat, ut in vomitum æger producatur & alvum deponat,

contra

contra incantationes valet, hac curatus est *Augustus* ab *Antonio musa*, unde ei statua est erecta. Folia naribus indita & contrita Apophlegmatisin producit, & quia veteres pituitam à cerebro produci putarunt ipsis purgatio cerebri dicta est, succus verò ex foliis stomachum roborat, unicum ferè est medicamentum, quod vertigines a spiritus deliquio tollit, summis itaque apud Italos effertur laudibus, ut in proverbium abierit apud eos, quos laudare volunt, virtus superat Betonicam. Conserva est optimi usus, sed quia omni tempore haberi potest, hinc planta recens multo melior est, contra scorbutum optimè usurpatur, quia vigorem sanguini optimè restituit, putredinem arcet in vulneribus, si potetur, tum ad pulcherrimam cicatricem deducit, idem verum est de ulceribus. Hæc planta est aperiens, attenuans, diuretica, vulneraria, cephalica, uterina. Folia instar Thée infusa conducunt in cæphalalgia, Ictero, Podagra, dolore Ischiatico, passionibus histericis; Decoctum Herniariæ cum Betonica in calculo renum & vesicæ commendatur, alii laudant decoctum betonicæ ad lochiorum fluxum post partum sistendum, Chirurgi addunt cataplasmatibus suis cephalicis. Ex foliis fit Emplastrum in vulneribus præsertim capitis.

Thymus.

Character. Caulis tenuis, lignosus, albus. Folia lata, albescentia, saporis acris. Flores in capitulo congesti, minimi, purpurei Galeâ surrectâ plerumque bifidâ, barba tripartitâ. Semina

mina obrotunda in capſula quæ flori tanquam calix inſerviit, incluſa. Creſcit in hortis.

Nomen ex θύ©, *odor* quia eſt planta valde odorata, vel à θυμὸς *ſpiritus animalis*, quia ſpiritibus animalibus reſuſcitandis inſervit.

Vires. Hæc planta ſuffimigiis præſtandis optimam materiam præbet, & animam quaſi reſuſcitat, habet ſummam ſuaveolentiam & mirificam vim, quæ cerebrum & cor valde exhilarat, ſi frigido vino infuſa potetur, omnibus venenatorum animalium morſibus medetur, hocque modo potata omne venenum expellit, in rabie canina laudatur, & contra pituitoſos & frigidos morbos maximè eſt efficax, præſertim contra Aſthma & Tuſſim, inde fit conſerva hoc modo, folia idoneo tempore carpta & ſaccharo obducta vaſis porcellaneis vel vitreis ſervantur, vel in vino, quod medicatum reddit, vel in aqua quæ pariter reddit talem; hac ratione omnes ferè morbos ſeniles pectoris & pituitoſos curant, in morbis calidis vel inflammatoriis hæ plantæ non ſunt adhibendæ. Si vino parum Thymi jungatur, gratiſſimum dat ſaporem; ſapor & odor eſt penetrantiſſimus, hinc vis ſudorifera, incidens, penetrans, calefaciens, aperiens; conducit in colica flatulenta, appetitum languidum reſtituit, in partu difficili convenit, menſtrua obſtructa provocat. Externe doloribus Arthriticis & Podagricis, & tumoribus frigidis prodeſt.

Serpillum.

Character. Folia Thymo latiora, cætera cum Thymo planè conveniunt.

Nomen

Nomen ab ἑρπὼ *ſerpo*, quia dum creſcit, ita ſerpit, ut totos montes occupet.

Vires. Eſt planta acris, amara, odorata, ſtiptica, hinc eſt attenuans, calefaciens, aperiens, cephalica, & uterina, in paſſionibus hyſtericis & omnibus morbis convulſivis conducit, hæc planta vino rubro gallico infuſa prodeſt Chloroſi laborantibus, aqua ejus deſtillata uti & ſpiritus in morbis ſoporoſis optimè convenit, hujus plantæ oleum vel aqua ex ejus floribus in ſpiritu vini maceratis educta in Epilepſia laudatur. Ejus folia in aqua decocta & melle edulcorata conducunt in tuſſi inveterata, veteres hanc plantam meſſoribus commendant, quia vires labefactatas reficit, omnes nationes in calidis regionibus ejus odorem amant, dum defatigati ſunt, hinc in medicina eo fine recipitur. In menſtruis obſtructis convenit, urinam movet, ſpaſmo & exſpuitioni ſanguinis prodeſt. Externè in cæphalalgia, vertigine adhibetur, in balneo pedum adhibita menſtrua provocat. Cum allio contra morſus venenatos valet; cæterum virtus ut in Thymo.

Maſtichina.

Character. Caulis longus, ramoſus, Majoranam referens, lignoſus, ramos multum extendens, anguſtus, tubuloſus. Folia Majoranam referentia, ampliora, albeſcentia, ſaporis acris & amari. Flores Thymum referentes, verticilli denſiores, floſculi compacti in capitula oblonga, candida, lanuginoſa. Galeâ erectâ, barbâ trifida; Radix lignoſa, odoris ſatis penetrantis, aromatici, grati. Creſcit in Hiſpania & regionibus calidis.

Nomen à *mastiche*, quia ejus odorem & virtutem perfectè habet, vocatur etiam *marum* ab amaritudine.

Vires. Est planta sudorifera, cephalica, & aperiens. In morsibus venenatorum animalium conducit, uti & in halitu cadaveroso. Calidior est quam Betonica & minus calida quam Serpillum vel Thymus, cæterum virtus est eadem sed paulo magis adstringit.

Marrubium.

Character. Caulis lanuginosus, quadratus, ramosus, excavatus. Folia obrotunda, se invicem opposita, rugosa, crassa, nervosa, in margine incisa, lanuginosa, villosa, albescentia, adorantia, saporis acris amari. Flores albi, minimi, in verticillis densis distincti, circa caules nudi, labio superiori elato, & velut in cornua fisso, inferiori tripartito, mediâ portione plerumque bifidâ. Semina oblonga. Radix fibrosa, nigra, adoris aromatici, penetrantis & grati, crescit hæc planta in locis incultis.

Nomen. A *voce hebraicâ Marrob*, quod amarum succum significat, alii à *voce latinâ marcidum* hoc nomen desumere volunt, quia ejus folia ita rugosa sunt, ut flaccida appareant.

Vires. Prima est planta veteribus contra omne venenum laudatissima, ut ejus vires explorarem, jejunus gustavi, & inveni habere amarorem superantem omnium aliarum plantarum, est putredini adversa, si gustetur, instar ignis & spiritus se mox diffundit, & amaror se statim per totum os dispergit, calorem conciliat,

ſiat, ſed amarus ſapor ſtatim perit, *Nicander* hanc plantam maximè laudat, & Veteres vi antiſeptica id eſt contra venena peſtis, vel gangrænæ vel alius generis laudantur nullo excepto, habet ergo oleum craſſum, quod in ſpiritum reductum amaroris vi accedit maximè ad bilem, hinc bilem acrem ſubtiliſſimè reſtituit in corpore, bilis ergo effectus præſtat, ſed quoque ſimul valde ad ſudores, urinam, & diaphoreſin movet, hinc omne putridum diſſipari facit, ergo omnia venena ſubtilia per ſudorem expellit; hæc idem de Centaurio, aliisque verum, ſuccus ejus expreſſus recens maximè laudatur ad liberandum pulmonem à muco & pure craſſo, unde *Hippocrates* hujus ſuccum cum melle dabat ad depurgandum purulentum pulmonem, vel alia ulcera purulenta viſcerum ſanat, modo ægri ſe à potu abſtinentes tantum hunc ſuccum uſurpant, ipſa herba non fert ulla inſecta; hinc contra pulices laudatur, ſi ſub lecto ſternatur *Hippocrates* eam contra febrem hecticam commendat, vomitum purulentum optimè corrigit, & depurat; Chirurgis commendatur à viribus reſolventibus & aperientibus, contra Hydropem febremque quartanam maximè laudatur. Hæc eſt planta aperiens, quæ in Aſthmate, Ictero, Catharro, tuſſi violenta, in partu difficili, menſtruis & lochiis retentis conducit, uti & in retentione urinæ; ſummum eſt remedium ad detergendos pulmones à pituita ſenili, & à pure in ulcere, hujus recentis herbæ infuſum cum melle calidè aſſumptum eſt optimum remedium in ſcorbuto, ubi pituita iners abundat, in utero & vermibus eſt decantatiſſimum, fit inde ſyrupus.

Lamium.

Character. Caulis quadratus, longus, ramosus, excavatus; Folia Urticam referentia, sed minora, lanuginosa, non pungentia, mollia, in margine incisa, caulibus satis longis adhærentibus. Flores in summitate caulium verticilli, minimi, purpurei coloris, Galeâ cavâ integrâ, barbâ bifida, cordiformi; semina majuscula è calicibus patulis brevibus per maturitatem decidentia, triangularia, satis crassa, splendentia coloris rubicundi. Radix minima, fibrosa, tota planta habet odorem fœtidum. Crescit in locis arenosis & circa muros.

Nomen. *à Lamia pisce*, quia hujus piscis horrendum vultum refert, ubi in raptum se componit, a nonnullis *galeopsis* dicitur à *γαλῆ felis*, quia ejus flos felis vultum refert, dum mordere vult.

Vires. Hæc planta adeo graveolet, ut Castoreum referat, ad suffocationes uterinas & ad sanguinem in vulneribus sistendum omnes valent, est planta aperiens, emolliens, incidens diuretica & lithontriptica, ejus Radix maximè ad Icterum commendatur, in gangræna, asthmate, tussi inveterata, pleuritide & peripneumoniâ convenit, Rusticis habetur pro remedio summo in inflammatione imprimis faucium, renes abstergit & calculos expellit, exspectorationem morbillorumque eruptionem promovet; hæc planta contrita fætet, sed paulo post odorem muscatæ refert, in hæmorrhagia narium est optima, si ejus folia vel succus expressus naribus indatur, hæ plantæ sunt omnes antihistericæ valde calidæ exsiccantes.

Clinopodium.

Character. Caulis quadratus, longus, hirfutus, tubulofus, denfiffimè aggeftus; Folia Majoranæ fylveftris, fed odorata, fe invicem oppofita, villofa, faporis Salviæ; Flores in verticillos denfos, cauli circumpofitos aggefti. Galeâ erectâ, rotundulâ, bifidâ, barbâ tripartitâ. Semina oblonga, minima, rubicunda, in capfula quæ flori tanquam calix inferviit inclufa. Radix fibrofa, crefcit in fylvis.

Nomen. Clinopodium à *κλίνη lectum* & *πὺς ποδὸς pedes*, quafi *pedes lecti*, quia juxta *Dioscoridem* hujus plantæ caules pedes lecti referunt; eft planta cujus calices ornantur coronis oppofitis. Virtus nulla eft nota.

Cannabina.

Quia cannabim refert, virtus eft cognita; vocatur etiam Galeopfis à *γαλὴ* felis, quia hujus plantæ flos caput felis refert.

Phlomis.

Character. Caulis ramofus, lignofus, quadratus, lanuginofus. Folia Salviæ, fed majora, alba, craffa, villofa. Galeâ magnâ cavâ, Flores in fummitate ramorum, in verticillis denfis aggefti femina oblonga in capfula, quæ flori tanquam calix inferviit inclufa, Radix fibrofa, longa, perennis, lignofa. Crefcit in locis ficcis, & regionibus calidis.

Nomen. Phlomis à *φλέγω uro*, quia ruftici olim hanc plantam comburebant ad fua cubicula illuminanda; dicitur etiam *Herba ven-*

ti, quia in montibus crefcit, & vento agitato folia rupta habet, *Phlomis fruticofa* veteribus vocabatur *verbafcum*; hinc *Tournefortius* fumpfit pro eo genere.

Virtus medicata in his non eft nota, nifi quod laudatur ut Lamium & Galeopfis. Succus tamen eft emolliens.

Rhus.

Character. Eft arbufcula aliquando ad altitudinem arboris crefcens. Folia pinnata, lata, oblonga, in margine incifa, rubicunda; Flores in racemos congefti albi, his in terram delapfis fuccedit capfula quædam, compreffa, fere ovalis, membranofa, rubicunda, femen ejusdem figuræ habens inclufum, coloris rubri; fapor foliorum, florum & fructuum eft adftringentiffimus, crefcit in locis lapidofis, ejus fructus in culinis olim adhibebatur loco falis ad carnem condiendam, unde dicitur *Rhus culinaria five obfoniorum.* Coriarii ejus foliis utuntur ad corium præparandum, unde vocatur *Rhus coriaria.* Tinctores etiam illam plantam adhibent ad colorem viridem tingendum, unde dicitur *fumach Tinctorum* optima *Rhus*, feu *fumach* ad tingendum eft recens coloris viridis & ad nos ex Portugalia adfertur, quod fumack virginianum vocatur crefcit in Vrginiis Infulis & America, inde corium induratur, quod optimè nempe cum ejus lixivio & melius quam hic ex querculis fit.

Nomen. Rhus ῥȣ̃ς, quod ῥȣ̃ς, feu ῥέω *fluo* quia fluxus alvi Dyfentericos & muliebres fiftat.

Vires. Fructus ejus, qui in racemos eft quafi congeftus coloris rubri faporis acidi & grati optimè

optimè conducit in Diarrhæa & Dyfenteria, præfertim cum cortice granatorum in aquâ decoquatur, uti & in fluxu nimio menftrui Diabetis, Hæmorrhoidis, & Gonorrhææ, ejus femina funt tantum grana exficcata, & ex racemis exempta, quæ non tam magnam habent virtutem, quia funt nimis ficca; hinc uva recens eft optima, quæ in Herniis optimè convenit, externè refiftit putrefactioni ac gangrænæ in Paronychio. Gummi dentibus inditum odontalgiam fedat; gemmulæ erumpentes & fructus virentes adhuc nondum fucci redditi per maturitatem in ufu funt in febris hecticæ fpecie, ubi fudor propter fibras nimis teneras flaccidas & humidas erumpit.

Blattaria.

Character. Eft planta Verbafcum referens, nifi quod ejus fructus fit magis rotundus, caulis rectus, fortis in ramos divifus, Folia oblonga, in margine incifa, acuta, non lanuginofa, coloris viridis nigricantis, in parte fuperiori fplendentia, odoris ingrati, faporis amari, Flores in quinque partes divifi, odorantes, pedunculis villofis adhærentes. His floribus decifis fuccedit in eorum locum fructus, qui includit femina minima, nigricantia. Radix Rapum refert eft alba, aliquantulum fibrofa, dura.

Nomen à *Blatta*, quia hæc planta illa animalia, quæ libros corrodunt, necat; cæterum in medicina non eft in ufu.

Hyssopus.

Character. Caulis durus, nodosus, ramosus, à parte superiore usque ad inferiorem folia angusta & oblonga habens, Flores verticilli, densi, in spicam congesti: semina oblonga in capsula quæ flori tanquam calix inserviit, inclusa, odoris aliquando Moschi. Radix digitum crassa, dura, lignosa, tota planta habet odorem penetrantem, gratum & aromaticum, uti & saporem paulo acrem.

Nomen à voce hebraicâ Ezob, in qua lingua Hyssopus significat herbam sacram vel ad repurganda loca sacra, ut in *Psalmis* dicitur, *repurga me Hyssopo*, sed quæ planta Hyssopus Veterum fuit ignota est, nisi planta humilis fuisse videatur, quia *Salomon* à Cedro ad Hyssopum plantas descripsit; quidquid sit, hæc vox jam huic herbæ tribuitur.

Vires. Hæc planta odorem habet gratissimum, saporem penetrantem, in ore relinquentem grata humoris aromatici vestigia, hujus succus est calefaciens, solvens, incitans, stimulans, & detergens, nam hæc virtus ex odore aromatico, & balsamico apparet, est ergo calefaciens, facilè detergens, hinc ubi phlegmata pituitosa lenta, purulenta & suppuratoria circa pulmones hærent, ut & circa Renes, purgat habetur inter exspectorantia, ut optimum, si folia aquæ infusa melle edulcorentur, sed sunt Empyrici, qui cum primum aliquem tussire audiunt, recommendant sed si magna adsit inflammatio, tum non convenit. In Chirurgicis ad maturandum & calefaciendum adhibetur; conducit etiam, ubi requiritur expulsio per sudores & urinam, uti & in Podagra, Leucophlegma-

tia

tia, Scorbuto, Afthmate, Hydrope, Pleuritide, Tuffi & morbis a vifcofitate ortis. Adhibetur in infufo, decocto, uti & fuccus ejus recens, aqua ejus deftillata, & conferva, Cataplafma ex foliis recentibus factum ulcera fordida depurat. Ejus vapor in aure fufceptus aurium tinnitus tollit, funt auctores, qui Abfynthio in corraboratione ventriculi præferunt. Verum Hyffopus veterum videtur effe noftra Ruta muraria, ut multi putant, faltem fuit planta muraria, nam dicitur *Salomon* Botanicorum Princeps à Cedris ufque ad Hyffopum plantam parvam murariam commentatam effe, faltem in Ruta muraria vis ineft detergens, ut quoque in Hyffopo noftro, unde nomen in morbis cutaneis & maximè ad fcabiem meretur.

Satureja.

Character. Caulis parvus, rotundus, acutus, lanuginofus rubicundus, ex uno pedunculo plures tales caules enafcuntur; Folia angufta, parva, oblonga, Hyffopum referentia, aliquantulum lanuginofa, multis foraminibus perforata, quæ non tranfeunt, odoris referentis Thymum, non ita penetrantis, faporis acuti, grati. Flores parvi, in alis foliorum fparfi, non in capita congefti, nec verticillatim difpofiti, in pedunculis ramofis crefcentes. Galeâ erectâ, bifidâ, barba trifidâ, fegmento medio crenulato; femina minima, ferè rotunda, in capfula, quæ flori tanquam calix inferviit inclufa, Radix minima, fimplex lignofa. Charecter defumitur à modo, quo flos crefcit, ut *Tournefortius* fecit, qui à folo flore characte-

rem petiit, fed huic characteri fingularis habitus, & dein odor & character in Indice defcriptus accedit.

Nomen. a *Saturejo*, quia faturiafmum inducit, nam maximè venerem excitat, & calorem membro virili affundit, vel à *faturare* quia in alimentis hæc adhibetur planta.

Vires. Hæc planta eft faporis ferventis, penetrantis, & aromatici, in omni morbo, ubi aqua & pituita iners prædominantur, conducit, uti ad humores pellendos, & partes roborandos, habet magnam vim ad venerem augendam, & nervos movendos, fitim excitat, fomnum excutit, vigilias producit in menftruis obftructis convenit, uti & in retentione urinæ, fi ægri inde nimium affumant, tamen fanguinem mingunt, & fequitur poftea fputum cruentum; hinc in omni hæmorrhagia perniciofiffimum, fed optimo condimento infervit farinofis cibis, ut fabis aliisque, inter antifcorbutica habetur, & omnis palmam præcipuit, contra morbos pituitofos & hydropem laudatur; optima eft planta in ventriculi affectibus, cruditate & anorexia, vifum acuit; externè dolores aurium fedat, tumores frigidos difcutit, in cubili ftrata pulices necare dicitur.

Galeopfis.

Character. Hæc planta multos caules quadratos habet; Folia ejus Marrubium referunt, Galeâ cavâ integrâ, barbâ trifidâ, fegmento medio majore. Flos eft coloris flavi, & multis punctis coloris croci inftructus, femina oblonga, in capfula quæ flori tanquam calix infervíit, inftructa; hæc capfula in quinque partes

tes divifa infundibulum refert, hæc planta crefcit circa ripas & in montibus.

Nomen ἀ γαλῆ *felis*, & ὄψις *facies*, quia flos faciem mordentis felis refert.

Vires. Omnes hæ plantæ fætent, & in his morbis conveniunt, in quibus lamium conducit, eftque eadem virtus. Prima eft Galeopfis *Diofcoridis*, ut videtur, & tum erit planta optima ad fuffocationes uterinas, imo hæc planta adeo fætet, ut nulla afa fœtida & caftoreum magis fœteant.

Sclarea.

Character. Caulis digitum craffus, lanuginofus, quadratus, fortis, medullam albam habens, in alas aut ramos fe invicem oppofitos divifus; Folia magna, ampla, lanuginofa, rugofa, albefcentia, afpera, in bafi fua magis ampla, deinde in puncta obtufa definentia, in margine incifa, caulibus longis adhærentia; flores in fummitate caulium crefcentes, verticilli, in fpicas longas congefti, Galea longa, falcata, adunca, barba tripartita, fegmentum medium; bifidum & cavum. Galea eft major labium pedemque Leonis referens, femina fatis craffa, polita, fubrotunda, rubicunda, in capfula, quæ flori tanquam calix inferviit, inclufa, Radix eft lignofa, longa, fibrofa, coloris fufci, faporis non ingrati, fed qui os quafi inflammat; Tota planta habet odorem penetrantem & faporem amarum.

Nomen. à σκληρος *durus*, *ficcus*, quia hæc planta habet caulem durum & ficcum. Omnes hæ hodie fic dicuntur à prima ufque, Belgis & Europæis dicitur *fcarley*; veteres has omnes vocarunt *Horminium* ab ὁρμιάω *impetum facio*,

facio, verum quibus galea faleata, hæ fclareæ dicuntur, Horminium verò plus Galea brevior & magis aperta

Vires. Si primæ, fecundæ, tertiæ, quartæ & vigefimæ fecundæ Africanæ dictæ fuccus hauriatur, reddit hominem temulentum, & plus quam ab aqua, hic fuccus aciditati refistit, hinc cerevifiæ admifcetur, & tum accipiens vinofitatem aciditatem prohibet, hinc rustici noftri talem potum cerevifiæ amant, ut cito fiant temulenti a fuo potu, in chirurgicis etiam adhibetur, nam diffipat, tumores tollit, calorem reftituit, & putredini refiftit, fed ab ea eft cavendum, fi fermentata fit, tum eft fudorifera, fi quis hujus plantæ folia, nempe primæ fecundæ imprimis & quoque utcunque tertiæ & quartæ diu fubolfecerit fit ebrius; hinc etiam homines ebrios facile reddit, fi cerevifiæ incoquantur folia, fi verò modicè adhibeatur, nervos fpiritusque reficit; eft planta aperiens, antihyfterica, in partu difficili & menftruis obftructis convenit, uti & in fluore albo, & venere ftimulanda fingulariter prodeft; fi folia contrita naribus fupponantur, vinofum odorem fpirant adeo gravem, ut inftar vini adufti in fermentandis liquidis adhiberi folet, nam addit vim calefacientem, & fpiritus producit, Cauponibus fat nota eft planta, folia contufa tumores refolvunt frigidos & fudores expellunt.

Horminum.

Character. Eft planta Salviam referens; Caulis ramofus, lanuginofus, quadratus, rubicundus, Folia Salviæ, fed minus ficca, lanuginofa, fe invicem oppofita, fine magno odore,

dore, ſaporis amari, in ſummitate ramorum ſunt multa folia conjuncta coloris Violæ, galeâ cavâ, non falcatâ nec aduncâ breviore, ſemina obrotunda, Radix fibroſa, lignoſa.

Nomen. Horminum ab ὁρμᾶν *impetu ferri*, quia impetu ſuo venerem ſtimulat & violenter auget.

Vires. Nervos excitat, ad expedienda loca tumida valet, ſi planta incoxerit, vel inferbuerit vinoſis, homines inebriat, in Hydrope optime convenit, uti & in illis forma cataplasmatis, qui ex alto ceciderunt, hæ omnes plantæ habent vim calefacientem; tamen raro eſt in uſu, niſi quod in vino cum floribus Sambuci & vitis ſuspendi ſoleat.

Salvia.

Character. Caulis ramoſus, lanuginoſus, lignoſus, coloris viridis albeſcentis; Folia oblonga, ampla, obtuſa, rugoſa, aſpera, albeſcentia, craſſa, lanuginoſa, ſicca, parum ſucci habentia, ſpongioſa, diverſi coloris, odoris penetrantis, fortis & grati, ſaporis aromatici, amari, & parum acris, os calefacientis, flores in ſummitate ramorum creſcentes, & in ſpicas quaſi congeſti, verticilli, galea falcata vel fornicata, barba trifida, ſegmentum medium vix excavatum. Semina obrotunda, nigricantia in capſula, quæ flori tanquam calix inſerviit, incluſa. Radix fibroſa, dura, lignoſa.

Nomen ſalvia quaſi *ſalvus vitæ*, quia vix ulla planta magis laudatur, hinc quæſtio eſt orta.

Cur moriatur homo ubi ſalvia creſcit in horto,

Niſi

Nisi quod contra vim mortis non est medicamen in hortis.

Hic nobilissimam videtis familiam, dicitur germanicè *selbes* belgicè *self*, prima dicitur *sphacelus Theophrasti* quia ejus folia contusa loco gangrænoso imposita gangrænam perfectè curant & sphacelum arcent; dicitur de salviis nonnullis esse pomiferas, quod sic est intelligendum, in calidis regionibus quoddam insectum in foliis ad dimidium foramen facit, (imprimis in his, qui foliis sunt rugosis) ibique semen ponit, tum sequenti anno nascitur ibi, quod Gallium *Galnooten* dicimus, & sic hæ species hinc delatæ primo anno talia adhuc habent, sed quia hic talia non adsunt insecta, hinc sequentibus annis disparuerunt.

Vires. Omnes hæ plantæ habent odorem fragrantissimum supra omnes plantas, & facit temulentiam, si diu subolfaciamus, & si diutius, tandem facit vertiginem, nam ego hanc plantam exploraturus jejuno ventriculo subolfeci; hinc fere temulentus evasi, & cum flores nonnullos assumpsissem, calorem roburque accepi. Si folia in aqua infundantur, nigrescit aqua, ut Thée indicus, & inde atramentum æquè ac cum Gallis fieri potest, si hoc modo potetur, tum est adstringens, stimulat fluida sicca, fibras roborat, & os exsiccat, inde concludo esse roborans, calefaciens, & spiritus excitans; hinc apud *Dioscoridem* pro summo sudorifero, cardiaco & cephalico jure habetur, hinc dicuntur in medicina salernitana hi versiculi supra recitati, ejus folia vino infusa ad laxitatem gingivarum & dentium, uti & ad scorbutum conducit, vi balsamica partes roborant,

borant, optima eſt planta contra omnes capitis morbos à languore & debilitate ſtomachi ortos, in Paralyſi, Lethargo, Apoplexia, Epilepſia, Podagra, Arthritide, Vertigine, Leucophlegmatia & virginum Cachexia convenit, maximum verò incommodum habet, nempe quod bubones ſub ejus radices nidificant, quod plantando Rutam, quæ fugiunt, evitatur, hinc carmen eſt.

Salvia cum Ruta faciunt tibi pocula tuta.

Apud veteres jure pro antitoxico, ſudorifero, cardiaco, maximè cephalico habetur, ſed non niſi in morbis frigidis, ubi pituita abundat, aqua deſtillata & conſerva ex floribus contra omnia venena ut ſudorifera & roborans herba ad prophylaxin adhiberi ſolebant; vis verò putredini reſiſtens Salviæ tribuitur, hinc ad cadavera condienda eſt egregia planta, in Aula etiam Cæſaris apud Turcas tanti eſt, ut inter ſumma aſſervetur; 1. à vermibus & inſectis partes defendit, 2. quia partes conſtringit vi adſtrictoria, 3. quia per odorem ſuum gratum corruptioni reſiſtit; Chinenſes dicuntur adeo amare hanc plantam, ut ſi ad ipſos offeratur, quærant, cur Europæi eorum herbam Thée adeo amant, cum habeant Salviam. Solida roborat & adſtringit; Chirurgi cum illa ſiſtunt ſanguinem de vulneribus fluentem, conſtringit arterias, herba vino incocta ad membrum paraliticum eſt optima, in ea ineſt vis aromatica, adſtringens, ſubauſtera, omnes habent naturam quercuum, ſic adſtringit, excitat ſpiritus, nervos movet, hinc eſt optimum remedium, ubi laxitas & inertia humorum

morum peccat, inde fiunt conservæ convenientes optimè debili fæminarum ſtomacho, nam licet fæminæ per annos debili laboraverint ſtomacho, dragma demidia hujus conservæ curantur, hæc planta in gargariſmate adhibita oris Aphtas abſtergit, in tremore & Catharrhis uti in menſtruis obſtructis prodeſt.

Berberis.

Character. Eſt magna arbuſcula, ramoſa, ſpinoſa, corticem tenuem & politam habens; Folia oblonga, in margine inciſa, viridia, aliquantulum aſpera, ſaporis acidi, Flores in racemos congeſti & multis parvis foliis flavis inſtructi; fructus tener, parvus, ovalis, ſuccum continens, poſt maturitatem coloris rubri, ſaporis acidi adſtringentis, grati, ſemina dura coloris fuſci in ſe habens, Radix non compreſſa, lignoſa, intus flava. Hæc arbuſcula creſcit in locis incultis.

Nomen. Eſt vox *Arabica*, ab *Amyrberis* barbarè.

Vires. Eſt planta adſtringens, aperiens, refrigerans, cardiaca, humectans, appetitum excitat, roborat ventriculum ac hepar, præcipuè adhibetur in morbis, ubi refrigeratione & adſtrictione opus eſt, ut in Diarrhæa, Dyſenteria, & Hæmorrhagiis, hic fructus adhibetur vel recens vel ſaccharo conditus in omnibus morbis acutis, nam vires habet refrigerandi egregias, ſitim ſedat, & putredini reſiſtit, in febre ardente laudatur.

Meliſſa.

Melissa.

Character. Caulis durus, quadratus, ramosus; folia oblonga, acuta, satis ampla, aspera, lanuginosa aliquantulum, in margine incisa, coloris viridis, subfusci splendentis, odoris citri, grati, saporis aliquantulum acris, Flores in alis foliorum nati, plerumque beni, in utroque latere terni; Galea, erecta, subrotunda, bifida, barba tripartita; Calix tubulosus, quinquifidus, longus, tribus segmentis majoribus, & binis inferioribus sic unitis, ut bilahiatus appareat; floribus decidentibus succedunt quatuor semina obrotunda, oblonga, sei invicem juncta, in calice florum inclusa; Radix fibrosa, longa, divisa, rotunda, optima ex Italia ad nos transportatur.

Nomen. A μέλι *mel*, quia apes mel conficientes ex hac planta eliciunt, vocatur *Melissophyllum* à μέλι *mel* & φυλλον *folium*, id est *folium mellitum*, *Apiastrum* ab *ape*, quia apes hac planta delectantur, *Citrago* à *Citro*, quia odorem citri habet; belgicè dicitur *citroenkruyt.*

Vires. Habet hæc planta virtutes optimas, odor & sapor est suavissimus omnium, vinum ex foliis infusis extrahit illum odoratum, quod medicamentum est summum solamen melancholicis, nam maximè exhilarat, estque Cardiacum ut *Canteus* egregiè canit, succus verò expressus est quoque adstringens, melancholicis flatibus obnoxii, & Hypochondriaci prosunt, & semper in his casibus adhiberi potest, licet sit in morbis calidis, si prima hæc planta recens carpta cum aqua simplici & ½ vini frigidi infundatur, vel

vel instar Thée potetur, maximum solamen est melancholicis, si cum vino Rhenano infundatur addito melle, est summum cardiacum, quod novimus; hinc quoque Physionomi virtutem plantarum deducere volentes, ut etiam *Crollius* & *Paracelsus* dixere folium humano cordi simile esse. Mulieribus hystericis est optimum remedium, exhilarat spiritus, si mulier obnoxia est borborigmis ructibus, cordis syncopi, & animi deliquio, folia paulo trita & naribus olfacta in hisce morbis prosunt, vinum inde medicatum conducit in Podagra Rheumatismo, Arthritide, modo quotidie usurpetur. Ex hac planta oleum destillatur, quod citri odorem habet, folia decocta roborant laxas gingivas, nulla planta plus conducit ad melancholiam, si animi tristitia à defectu spirituum ortum ducat, si cum vino vel cerevisia, vel aqua infusa potetur, si cum Caryophyllo contusa coquatur per momentum vase clausc, egregium præbet jusculum, commendatur ad Epilepsiam, Maniam Sterilitatem, Apoplexiam, Paralysin, Epilepsiam, Vertiginem & Lypothymiam, conducit in cruditate ventriculi, menstruis obstructis, ac lochiis puerperarum remoratis, halitum fætorem tollit, & urinæ retentione laborantibus prodest, externè adhibetur in Cataplasmatibus balneis pedum, ictibus venenatis vesparum, & similium.

Moldavica.

Character. Caulis rubicundus, quadratus, ramosus; Folia oblonga, Betonicam referentia, angusta, crenata, tria in eodem caule conjuncta,

juncta, Flores sunt verticilli in alis foliorum; galea sursum reflexa, fornicata, bifida, barba bifida, unita faucibus marginatis. Calix oblongus, tubulosus, in duo labia inæqualia sectus, per maturitatem connivens, semina nigricantia, oblonga, in capsula, quæ flori tanquam calix inserviit, inclusa. hæc planta habit odorem, & saporem Melissæ vulgaris, sed magis penetrantem, & minus gratum.

Nomen. A *Moldavia*, quia hæc planta nobis ex hac regione adfertur, ubi sine cultura crescit.

Vires. Botanicus quidam mihi hanc ex Turcarum Moldavia attulit, & dedit nomén melissæ Turficæ Moldavica, sed credo potius ad nominum synonima evitanda, multo melius Moldavicam esse dicendam; nil de ejus virtute prædicatur, prima & secunda odorem perfectè Melissæ habent, & pro Melissa adhiberi possunt, habent odorem fortissimum balsamicum, Tertia est instar balsami peruviani, hinc & tales vires forsan habebit.

Tilia.

Character. Hæc arbor est magna, ramosa, crassa, se in latitudinem extendens, & magnam umbram faciens, Cortex ejus est polita, extus coloris cineritii vel nigricantis, intus flavi aut albescentis, ita flexilis, ut funibus faciendis inserviat, lignum ejus est tenerum, albescens, haud nodosum; folia ampla, subrotunda, in acutiem desinentia, aliquantulum lanuginosa, splendentia, in margine incisa, exeunt ex ejus alis parva foliola alba, longa, quibus adhærent peduncula, quæ se in quatuor

vel

vel quinque ramos dividunt, quæ ſingula gerunt florem quinque folia habentem, coloris albi, odoris grati, quem florem calix in quinque partes diviſus ſuſtinet, his floribus decidentibus, ſuccedit teſta obrotunda, ovalis, angulosa, lanuginoſa, lignoſa, ſemina nigricantia ſaporis dulcis in ſe continens.

Nomen à τίλον *pluma*, quia hæc arbor florem in caule gerit, qui caulis plumam ferè refert, vel à *telum*, quia ejus lignum telis faciendis inſervit.

Vires. Semen hujus arboris conducit in narium hæmorrhagiis, ſi in pulverem contritum naribus indatur, ex floribus Tiliæ fit aqua ſtillatitia, quæ contra inſultus Epilepticos infantum eſt optima, ut contra vertiginem, epilepſiam, morbum hypochondriacum & apoplexiam. externè commendantur forma Cataplaſmatis in teneſmo. Folia externè adhibentur in Aphthis, ac tumoribus pedum diſcutiendis, uti in combuſtione, ſcilicet corticis mulilago in vulneribus magni eſt ſolaminis, folia & cortex urinam ac menſtrua obſtructa provocant.

Brunella.

Character. Caulis minimus, repens, lanuginoſus, anguloſus coloris purpurei; folia oblonga villoſa, rubicunda ſaporis viſcoſi aliquantulum amari; flores in ſpicam ſquammatam, denſam, brevem congeſti, habent galeam erectam integram, cavam, longam, in ſuperiori parte in decem labiis diſſectam. Semina obrotunda, in capſula quæ flori tanquam calix inſerviit incluſa; Radix fibroſa minima, creſcit in ſylvis & montibus.

Nomen,

Nomen. Hæc eſt recens planta veteribus planè ignota, quæ videtur nomen traxiſſe a vocabulo Germano *de bruyne*, quod eſt ſpecies anginæ, quæ ſemper intra paucos dies in gangrænam abit, eſtque morbus caſtrenſis & dicitur exercitus quidam hoc morbo ferè totus laboraſſe, multaque remedia eſſe adhibita, & tandem hæc planta eſſe inventa, quæ omnes ægros hoc morbo laborantes curavit, ſuccum hujus plantæ in Gargarismate aſſumpſerunt & foliis pro Cataplasmate uſi ſunt, unde perfectè fuerunt curati.

Vires. Eſt planta amantiſſima in omni morbo inflammatorio, ſic ſal cum ſulphure fuſum eoſdem morbos curat, & hoc dicitur ſal depuratus prunellæ, hæc etiam herba vocatur Prunella, hinc error in nonnullis ortus eſt, quod putarint hoc ſal prunellæ ex herbæ prunellæ vel Brunellæ cinere oriri, hæ plantæ habent ſuccum ſubdulcem aquoſum, in quo aliquid nitroſi hærere videtur, certè ſuccus ejus eſt blandus & valde ſaponaceus, hinc emollit, laxat, conſolidat, inviſcat acre, ergo ratio patet, cur ſic laudetur, reſiſtit inflammationi, ſolvit coagula, emollit, & tamen non inviſcat, intrinſecus ejus decoctum ſolvit inflammationem, externè vulneribus applicata conſolidat, in omnibus hæmorrhagiis & dyſenteriis ut & in ſputo cruento conducit hæc planta, prodeſt ad gingivas depurandas, in ſcorbuto, furunculis & vulneribus profundis folia contuſa ſunt optima, ſuccus ejus in cæphalalgia & oris ulceribus convenit, uti in morſibus venenatis, ejus folia decocta mictum cruentum ſanant; *Crollius* dicit, radicem ſiccam denti dolenti affrictam, donec ſan-

guinem susceperit, dolorem statim sopire. Est planta laxans, refrigerans æstum temperans, succus potatur, ubi rigiditas est nimia, Cataplasma cum aceto inde factum sanat morbos anginosos, in Nephritide cum sero lactis cocta est planta optima.

Ocymum.

Character. Caulis densus, se in multos ramos lanuginosos & quadratos dividens, folia Parietariæ habens, sed minora, odoris fortis aromatici penetrantis & grati, flores verticilli in spicas satis longas, & in summitate ramorum dispersas congesti, odorantes; galea erecta crenata, longa, quadrifida, simplex amplior quam barba, cava horrizontaliter porrecta, succedit postea capsula, quæ semina oblonga, nigricantia, & minima includunt; Radix nigricans, fibrosa, lignosa, annua. Huic characteri accedit, quod folia exhilarant animum, & totum locum, ubi sunt, suffimigant, vix personæ in hac familia plantarum à se invicem distingui possunt nisi ab odore.

Nomen. ab ὠκέως *celeriter*, quia ex seminibus intra biduum crescit. Vocatur & *Basilicum* à βασιλεὺς *Rex*, quasi *Regia herba*, ob odorem divinum uti & virtutem.

Vires. Multi dicunt, quod si odor naribus attrahetur, tum ascendunt semina in sinum frontalem, ibidem muco foventur & excluduntur, & ne vobis hoc mirum videatur, cum aliquando imo & insecta nonnunquam cum muco sint excreta, vis inest balsamica; odor suavissimus & penetrans, calefacit, & mirificè spiritus

ritus excitat, si in præparatione salis volatilis addantur folia, tum odor adhuc multo melior, & magis reficiens ipsi conciliatur, quoad dicitur, folia multum olfacta scorpiones in cerebro generare, forte accidit, quia scorpiones odore allecti ova in ipsis foliis ponunt, quibus naribus attractis in sinu frontali facile excluduntur, & augmentum capiunt, conducit in urina cienda, & menstruis obstructis provocandis, in colica, asthmate, & morsibus venatis prodest. Est planta balsamicæ temperatæ virtutis non offendens odore ut Salvia & Horminium.

Marrubiastrum.

Character. Caulis quadratus, lanuginosus, ramos repentes habens, folia Alsine, sed majora, in margine incisa; Galea floris ferè integra, & plena; flores in densos verticillos congesti, coloris cærulei, quos flores calix aspera sustinet; semina minima, obrotunda, in capsula, quæ flori tanquam calix inserviit inclusa; radix fibrosa minima.

Nomen à *marrubio*, quia hujus plantæ flores ad marrubium accedunt, vires medicatas in his non novi.

Sideritis.

Character. Caulis, lanuginosus, quadratus, flavus; folia se invicem opposita, oblonga, in margine dentata, lanuginosa, rugosa, saporis adstringentis, aliquantulum acris; flores verticilli, in alis foliorum plerumque incisorum congesti, coloris albi subflavescentis,

 punc-

punctis rubris instructi, singula pars horum florum sustinetur à duobus foliis subrotundis, instar crystæ galli incisis, quæ folia multum ab aliis foliis in parte infima crescentibus differunt; semina oblonga, nigricanta, in capsula, quæ flori tanquam calix inserviit, inclusa; radix lignosa; Hæc planta odore Lamium refert, crescit in montibus, locis siccis & incultis.

Nomen. A σίδηρος *ferrum*, quasi *herba ferri*, sic *Dioscorides* herbas, quæ prosunt ad vulnera ferro inflicta curanda, vocavit, dicitur etiam, *ferruminatrix* ob eandem causam, vocatur *Herba Judaica*, quia Judæi olim hanc plantam in medicina adhibuerunt, hæ plantæ hic desiderantur valde, quia nonnunquam quatuor vel quinque annos postquam semina terræ sunt mandata prodeunt, hinc modus prodeundi plane est incertus, Hæ plantæ in medicina non sunt in usu, nisi aliquanda forma Cataplasmatis in herniis.

Chamæclema.

Character. Caulis humilis, tenuis, repens, nodosus, quadratus, aliquando rubicundus; folia obrotunda, lanuginosa, in margine dentata, aspera, longis caulibus adhærentia, se invicem per intervalla opposita, Flores in alis foliorum nati, galea surrecta, bifida, subrotunda; semina quatuor oblonga se invicem juncta, in capsula, quæ flori tanquam calix inserviit inclusa; radix albescens, minima, repens; tota planta habet odorem penetrantem, & saporem amarum.

Nomen. à χαμαὶ *humilis* & κισσὸς *Hedera*, quasi

quasi *Hedera humilis*, vulgò vocatur *Hedera terrestris*.

Vires. Hæc planta est calefaciens, Aromatica, aperiens, roborans; hinc adhibetur, ubi detergendum vel abstergendum est, ad omnes pulmonum morbos convenit, Rustici folia hujus plantæ in spiritu vini, vel spiritu juniperini infundunt, tum hoc infusum contra nephritidem dant, folia decocta & glycyrrhizæ vel melle edulcorata prosunt, ubi pus ex pectore est detergendum, syrupus ex hac planta factus valet ad tussim convulsi am, succus melle edulcoratus, & cochleatim haustus est benegnissimus, phlegma viscidum ex pulmone liquefacit, expellit, consolidat, unde *Boyleus* nil melius expertus est contra Renes, ubi à lenta pituita & purulenta materia & calculis parvis obliti sunt, nam hæc omnia expellit, si addantur spiritus vini & mel, tum fit quasi balsamus, qui cochleatim jejuno stomacho est assumendus: hæc planta conducit in scorbuto, Ictero Asthmate & Colica, prodest ulceribus viscerum abstergendis & consolidandis, odor est gratus, vis adstringens, maximè ad sputum & mictum sanguinis conveniens.

Molucca.

Character. Caulis fortis, quadratus, rubicundus, medullam habens, folia Melissæ, in margine profundè incisa, caulibus longis adhærentia, odoris grati, saporis amari; flores verticilli, in alis foliorum nati; semina angulosa, vix tecta, in capsula, quæ flori tanquam calix inserviit inclusa; radix fibrosa, lignosa.

Nomen à Molucca insula, quia hæc planta ibi fuit inventa.

 Vires.

Vires. Eſt herba vulneraria, & in Pthyſicis optima, ſi in aqua ejus folia infuſa aſſumantur, ſi ſanguinis ſputa adſint, tum ſuccus ejus expreſſus valet, qui eſt adſtringens, & in ipſa Hæmoptoe convenit, ad Calculum ſolvendum nulla eſt melior planta, ſi nempe ejus folia ſpiritui vini vel vino infundantur, cæterum vis eſt ut in Meliſſa niſi paulo graveolentior. Hic notandum eſt, ut de omnibus plantis verum eſt, quod omnium plantarum color accuratiſſimè cæruleus inde venit, quia in pingui ſolo creſcit, ſic & hic.

Pſeudo-Dictamnus.

Character. Cauliculi multi, minimi, lanuginoſi, nodoſi, albeſcentes; folia mollia, tomentoſa, obrotunda, Dictamnum Creticum ferè referentia, flores verticilli Marrubii albi æmuli; densè congeſti, coloris purpurei, calix orbicularis, inſtar acetabuli latus; ſemina oblonga; radix fibroſa, minima, lignoſa.

Nomen. à ψεῦδος *falſum*, & *Dictamnum*, quaſi *falſum Dictamnum.*

Vire in his eædem à nonnullis prædicantur, quas poſtea de Dictamno laudabo, ſed minimè verum eſt, nam vis odorata talis non eſt, ut in Dictamno, & hinc non poteſt de viribus adhuc aliquid veri dici, nonnulli putarunt eſſe Alypſon Veterum, ſed non eſt, in his eſt virtus Antidoxicæ & Antidotariæ.

Cataria.

Character. Caulis lanuginoſus, quadratus, ramoſus, folia Urticæ majoris, vel Meliſſæ,

in

in margine incifa, albefcentia, acuta langui-nofa, odoris penetrantis, faporis acris; flo-res in fummitate ramorum nati, flavi aut al-befcentes, in fpicam congefti, Galea erecta, bifida, fubrotunda, barba tripartita, fegmento medio excavato, eleganter crenato, amplo, cæterum binis fegmentis, ut alis, orificium patulum labiorum cingentibus; femina qua-tuor, ovalia; radix in multos ramos divifa, lignofa. Crefcit juxta vias.

Nomen a *Cato* vel *fele* habet, quia hi hanc plantam crefcere non patiuntur, fed in eam deperiunt, affiliunt, fe in ea circum-volvunt, edunt & fic tractant ex amore, ut pereat eodem modo, ut fimiæ fuas proles, qui ex amore, eas interficiunt, hanc plantam ni-mis comedentes ebrii fiunt, quod maximè faciunt, fi catuliant; belgice vocatur *kattekruyt*. dicitur & *Nepeta* à *Nepa fcorpio*, quia hæc planta contra morfus fcorpionum eft opti-ma.

Vires. Sapor hujus plantæ eft aromaticus vix digerendus à ftomacho, ergo in morbis fto-machi & inteftinorum conducit, folia in ma-jori copiâ fumpta luxuriem ut & ftranguriam producunt; in hyftericis & hypochondriacis laudatur, ingreditur in fpiritu matricalis burri, cæterum eft herba Antihifterica, & convenit in omnibus morbis fæmininis, & uterinis, qua-tenus ab acido auftero vel adftringente oriun-tur, vel à torpore vel nimio motu fpirituum, eft Antimelancholica & Cephalica planta, nam fi fubodores, fentis motum in capite, hinc in-de fiunt aqua & fpiritus contra cephalalgiam, hæc planta etiam in theriacis & alexipharma-cis ingreditur; imprimis verò hæc quæ dicta

L 4 funt,

funt, vera funt de prima, fecunda & octava. Denique virtus eft carminativa; cæterum ad Mentham accedit, vulgò huic plantæ nimium indulgentes fructibus horræis hanc herbam admifceri folent, ad paulo iterum calefaciendum, viris melancholicis convenit, ubi fpiritus motores plus in uno loco, quam in alio influunt, adhibetur autem forma decocti, in menftruis obftructis, fterilitate, fætu pellendo, uti & lochiis provocandis prodeft, externè in balneo pedum, folia hujus plantæ in aqua cocta conveniunt in ictero & in tuffi violenta.

Ballote.

Character. Caulis quadratus, fortis, lanuginofus; rubicundus, folia fe invicem oppofita, majora & oblongiora Marrubio albo, Meliffam referentia,fed obtufiora,magis rugofa, in margine incifa, coloris viridis fubfufci, odoris fætidi; flores verticilli coloris rubri; femina oblonga, in capfula, quæ flori tanquam calix inferviit, inclufa; radix fibrofa, perennis hæc planta Marrubium refert, nifi quod Marrubium fit album, hæc verò nigra, dicitur à colore foliorum, fætorem habet virofum & caftoreum.

Nomen eft vox græca, quæ huic plantæ à *Diofcoride* data eft, & hæ refencentur inter plantas veteribus notas,quarum vires *Diofcorides* bene notavit, dicitur & *Herba Jaculatoria*, quia juvat telis vulneratis.

Vires. Prima & fecunda eft optimæ virtutis, eftque caftoreum rufticorum, folia fundunt fætorem, qui idem efficit ac Galbanum, Caftoreum.

reum & Afa fœtida,hinc inter uterina habetur, qui fœtor etiam eſt optimus contra infultus Epilapticos, Apoplecticos,& hiſtericos,laudatur externè ad tumores frigidos, commendatur fpecificè venatoribus & Empyricis contra morfus rabidos animalium,ſi folia contufa cum magna falis copiâ in loco affecto imponantur, contra flatus hypochondriacos eſt optima planta, intus fumta fudorem movet, ſi folia in aqua vel vino coquantur, conducit ad venena expellenda, uti ad podagram..

Calamintha.

Character. Folia obrotunda, acuta, aliquantulum, lanuginofa, fe invicem oppofita, flores nati in pedunculis ramofis, qui nafcuntur ex foliorum alis, coloris purpurei, galea obrotunda, erecta, bifida; femina, nigricantia, oblonga, in capfula, quæ flori tanquam calix inferviit inclufa; radix fibrofa, tota planta habet odorem aromaticum & gratum. Crefcit in montibus.

Nomen. à καλὴ *pulchra* μίνθη *men'ha*,id eſt *pulchra mentha*,quia viribus cum illa planta convenit,vel quia pulchra Mentha fuit puella, quæ ex amore periit.

Vires. Sapor hujus plantæ eſt maximè reficiens, odor eſt fuaviſſimus, & amœniſſimus, & planè fingularis, ita ut qui femel his plantis fubolfecit, oculis obvelatis odore cognofci poteſt; flores vino infuſi & epoti mirificè exhilarant ſtomachum confortant, pituitofam & glutinofam materiam è pulmonibus & renibus expellunt, melancholicis & hyſtericis eſt optimum remedium, nam calfaciendo fua vi aro-

matica humores liquefacit, eft planta carminativa, cæphalica, ftomachica, & uterina. Prima in montibus crefcit, fed ibi longè minor eft & odoratior, fecunda melior eft, fed carior, fic etiam quinque priores perfectè vires easdem habent, in his verò virtus eft eadem ac de Cataria recenfui, fed odor, qui in Catareis vituperatur, hic planè non adeft; hinc non melior herba apud omnes veteres laudatur, ut exhilarans & excitans fpiritus, melancholicis maximè levans, uterum fegnem excitans, & inter cæphalica uterina laudatur, eftque ut bafis medicamentorum, quæ contra morfus rabidi animalis, venena, ipfamque peftem adhibentur, inde fiunt fpiritus carminativus & aqua aromatica, ex foliis & floribus idoneo tempore carptis & cum faccharo in offam contufis paratur conferva optima, nam in floribus & foliis eft vis calefaciens, roborans, & aromatica, fuccusque ineft fimul valde faponaceus, hinc eft planta cardiaca, pulmonica & antipeftilentialis, fi nempe venenum fit tam fubtile, ut fudore expelli poffit, in omnibus morbis frigidis pituitofis ut & hydropicis; convenit, optimè fpiritus excitat, ut quafi robur addatur, maximè in morbis debilibus ventriculi herba tota recens cum faccharo eft deglutienda, hæc planta in magnis Antidotis ingreditur: in flatibus diffipandis locchiis, & menftruis obftructis provocandis, ut & in partu difficili conducit, fætum expellit, urinam movet, tuffi medetur, in artuum doloribus & Orthopnæa eft optimum medicamentum ut in calculo folvendo, ulcera fœtida & fordida confolidat, in Phyfi prodeft, tumores ædomatofos

tofos

tosos resolvit, in Clystere folia adhibita dolores colicos tollunt.

Acinos.

Character. Caulis quadratus, tenuis villosus, folia Majoranæ sylvestris, minus odorantis, se invicem juxta caulem opposita, lanuginosa, saporis Salviæ, flos ex foliorum alis, secundum caulem non in capitula, nec in peduncula, sed in arctos verticillos congestus; Galea subrotunda, erecta plerumque bifida, flos est coloris purpurei rarò albi, semina rubicunda, oblonga, minima, in capsula, quæ flori tanquam calix inserviit inclusa; radix fibrosa; crescit hæc planta in sylvis.

Nomen. ab ἀκινὸς *tranquillus*, quia loca amat deserta, vel quia non facile movetur, vel à virtutibus sic dicitur, quia animum firmum reddere videtur. Vocatur etiam ob similitudinem Clynopodium.

Vires ad Calaminthas accedunt, sed paulo minores.

Dracocephalon.

Character. Folia Persicæ sed longiora, serrata, alternatim cruciata, flos angulosus, ubi galea superior relinquit gulam referentem caput Draconis, flos Digitalis.

Cassida.

Character. Caulis ramosus, debilis, quadratus, repens; folia angusta, longa, acuta, aspera, in margine dentata, saporis amari, caulibus brevibus adhærentia; flores ex foliorum

alis erumpentes; minimi, se invicem oppositi, galea in superiori parte bifida, superior galea binis auriculis est instructa, inferior plerumque incisa; hic flos externe est lanuginosus, coloris Violæ cærulescentis, multis punctis cæruleis instructus; semina obrotunda; radix minima, nodosa, fibrosa, alba repens, hæc planta crescit in locis aquosis, odor ejus est satis gratus.

Nomen. sic dicta fuit hæc planta à *Fabio Columna* à *casside militari* quam flos quodammodo refert. Dicitur *solea Virginis Mariæ*, quia soleam calcis fæminæ belgicè *een schoen* refert, *scutellaria*, à *scutella* quia capsula seminis talis est. Vocatur etiam *Tertianaria*, quia amaro suo succo idem efficit ac flores vel summitates Centaurii minoris ad febres intermittentes curandas, si folia ejus infusa adhibeantur, præsertim quartæ & quintæ, de cæteris nil prædicatur.

Majorana.

Character. Caulis minimus, rubicundus, aliquantulum lanuginosus, ramosus, lignosus; folia se invicem opposita, obrotunda, minima, Origanum vulgare referentia, sed minora albescentia, mollia odoris aromatici penetrantis & grati, saporis amari & acris; flores in summitate caulium crescentes, congesti in spicas aut capitula rotunda, densa, breviora Origano, conflata ex quaterno foliorum squemmatim sibi mutuo incumbentium ordine, galea erecta bifida; semina obrotunda, odorata, minima amara, coloris rubicundi; radix minima.

Nomen.

Nomen. *Majorana*, *quafi major ad vitam*, quia vitam prolongari dicitur, vel quia Marum refert, fortè eft Marum Veterum, videtur etiam effe fampfuchus veterum, vel dicitur *majorana* & *Amaracus ex a privato* & μαραίνω *Marefco*, quia hæc planta non facilè putrefcit, nec marcefcit, nam eft nimis ficca, belgicè dicitur *Marjolein.*

Vires. De hac planta multa prædicantur, habet fuaveolentiffimam expirationem, benignemque virtutem, & inter cephalica antihifterica, uterina, & carminantia habetur; folia præbent benigniffimum medicamentum in morbis mulierum à frigidâ caufâ ortis, fi ejus folia inftar Thée exhibeantur, Princeps eft inter plantas cæphalicas cum Lavendula, Roremarino, Stachade, quafi fundamentum Cæphalicorum conftituit, eft herba fuaviffimi odoris aromatici, penetrantis, in omnibus morbis ubi frigus cum pituita & inertia vel debilitas adeft, convenit, veteres dixerunt herbas cæphalicas, quæ morbos cerebri curant, & imprimis eliminantes pituitam, ad debilem ftomachum ad uteri vitia languida corrigenda eft planta commendatiffima, fpecificum eft remedium in catarrhis, vertigine, doloribus capitis, morbis foporofis, obftructionibus, Epilepfia, & Apoplexia, in fternutatoriis & errhinis ingreditur, ex foliis recentibus fiunt aqua ftillatitia, fpiritus & oleum, fi addatur fal ammoniacus, dat nobiliffimum fal cephalicum, Conferva fit ex foliis tenuioribus, folia debito tempore carpta, in umbra ficcata & accenfa, ut Nicotiana expurgant pulmones à muco, & lavant fenilia pectora, hæc planta in omnibus compofitionibus majoribus ingreditur, *Tournefortius* hoc

genus confundi vult cum Dictamno, sed si character inspiciatur, facilè distinguitur.

Dictamnus.

Character. Caulis ramosus, villosus, purpureus, in alas divisus; folia obrotunda, acuta, lanuginosa, odorata, saporis acris; flores cum verticillis in longas & laxas spicas congesti, coloris purpurei, in singulo flore galea est erecta, bifida, subrotunda, barba tripartita; semina quatuor, obrotunda, in capsula, quæ flori tanquam calix inserviit, inclusa; radix parva, numerosa, crescit in Candia, in monte Ida, unde ad nos sicca adfertur.

Nomen. Dictamnus à δικταμνος, ἀπὸ τῦ τικτεῖν id est *parere*, quia hæc planta ad partum promovendum conducit.

Vires. Hujus plantæ vires Poëtæ, Veteresque omnes Romani scriptores valde celebrarunt & dixerunt hanc esse omnium plantarum vulnerariarum Principem; hinc dicitur Apollinem cum hac planta multa præstitisse, sapor est subamarus, oleosus, balsamicus, & aromaticus, præservat ergo à putredine, & omnibus fere venenis contrarium est, hinc antidotis ingreditur. Secunda est Dictamnus verus veterum, nam nullibi in tota terrarum orbe invenitur, nisi in monte Ida in Creta, ubi Veteres græci degerunt, quæ planta omnes habet virtutes, quas Veteres prædicant, ut *Homerus*, & tota vétustas de hac tanta dixit: inest vis balsamica, addo tamen, est in rerum natura volatile quid sensibus non percipiendum, nisi solo olfactu, quod vocamus spiritum volatilem, unde fit spiritus gratissimus, ille-

ille ſpiritus eſt inimitabilis arti, ſi ille ſpiritus nimium offendat, tum eſt optimum aromaticum, ſi verò nimis volatilis ſit, tum dicitur balſamica planta. Eſt planta apeririens, cardiaca, calefaciens, attenuans, conducit in menſtruis obſtructis, partu difficili.

Origanum.

Character. Caulis quadratus, durus, villoſus, folia magna Calaminthам referunt, minima, Majoranam, lanuginoſa, adorata, ſaporis aromatici, acris; flores in ſpicas ſquammoſas congeſti inſtar umbellæ, flos galeâ erecta ſubrotunda, bifidâ; ſemina minima, obrotunda, in capſula, quæ flori tanquam calix inſerviit, incluſa; radix fibroſa, minima, lignoſa. creſcit in montibus.

Nomen. Origanum ab ὄρος *mons* & γάνυμαι *gaudere*, quaſi *planta, quæ montes amat.* Præterea quæ in Charactere habentur, odore à cæteris diſtinguitur; nam in omnibus idem odor & ſapor.

Vires. Nulla planta eſt celebratior *Hippocrati* quam hæc, nam ille laudat hanc plantam in morbis, ubi calefaciendum, diſſolvendum, & ſtimulandum eſt, hinc adhibetur in cura exculcerata pulmonum, nempe ſi vino incocta & melle edulcorata ſic calidè ſorbeatur, eſt optimum remedium ad phlegmata educenda, ſed tamen non eſt danda, ubi Hæmoptoe eſt metuenda, ſic etiam ad Renum morbos convenit, nam eſt aperiens, ſolvens & balſamicus; hæc herba plus calefacit priori; ſed vis non eſt adeo ſubtilis, alioquin eſt ſimilis Calaminthæ; hæc planta in affectibus hypochondriacis & ter-

tianis febribus est optima, & ubi languenti naturæ est succurrendum & incidendum, folia in aqua cocta & melle edulcorata conveniunt senibus in magna tussi, laxant, & stimulant, est herba penetrans & calefaciens, succus ejus melle edulcoratus conducit in pulmonum Apostemate, Asthmate, Ictero; & sudoribus eliciendis, morbis soporosis, hystericis & catarrhosis; auget lac, fiunt inde aqua stillatitia, spiritus & oleum, semen Origani est piperaceum, fervidum & in fistulis putridis prodest, contra scorbutum & colicam ex floribus fit oleum. Folia instar Thée infusa conveniunt in asthmate, & tussi violenta, & in digestione in balneis ad passiones hystericas, Chlorosin & Paralysin adhibentur.

Rosmarinus.

Character. Caulis longus, tenuis, cinereus, habens folia angusta, dura, non flexilia, in parte superiori viridia, in inferiori alba, odoris penetrantis, aromatici, saporis acris, semina minima, obrotunda, quatuor se invicem juncta, in capsula, quæ flori tanquam calix inserviit, inclusa; radix fibrosa, minima. Crescit hæc arbuscula in Regionibus calidis, ut in Hispania & Italia.

Nomen. Rosmarinus est vox composita ex *ros* & *marinus*, quasi *ros maris*, quia ingenti copiâ ad maris mediteranei ripas crescens ejus vapores roris formâ cadentes accipiunt; ejus flos in officinis dicitur *Anthos* ab ἄνθη per κατ᾽ ἐξοχὴν græcè, vocatur etiam hæc planta *Coronarius*, quia olim ex floribus hujus plantæ coronam conficiebant Veteres.

Vires.

Vires. Folia ſunt Antihyſterica, Uterina, Emmenagoga, Cephalica; ſi pro fomentis & cataplasmatibus adhibeantur ſummopere alliciunt & detergunt, contra fluxum album à languore eſt optimum remedium, eſt diſſipans & calefaciens. Folia contrita & in paſtæ formam redacta & deglutita, ventriculum mire roborant, & ſpiritus excitant. Hæc planta eſt optima in affectibus capitis & nervorum, Vertigine, Caro, Apoplexia, Epilepſia, Paralyſi, Colica, paſſionibus hyſtericis, & memoriæ debilitate, folia in balneo contra ſterilitatem proſunt, viſum acuunt, fætorem oris & anhelitum emendant, hepatis, & lienis obſtructiones reſolvunt, hinc in Ictero ſunt optima, externè in nervis confortandis, gangræna præcavenda, & humoribus frigidis reſolvendis conducunt, in Catarrhis & inde natis affectibus halitus ex hac plantâ convenit; hæc planta in Anglia, Hiſpania, & Gallia narbonenſi creſcit, folia camphoram ſpirant, hujus florum ſpiritus, oleum & quinta eſſentia ſic dicta vobis hoc hyeme exhibui una cum virtutibus horum medicatis mirabilibus, ſi hi flores deſtillentur, fit aqua, quæ dicitur, *eau de la Reine d'Hongrié* gallicè vel latinè *aqua Reginæ Hungariæ*, quia Eremita hanc compoſitionem alicui Reginæ Hungeriæ docuit; hæc aqua eſt optima in animi & ſpirituum deliquiis ſic dictis, ad delicias ſuffimigiorum, præſertim melancholicis, & hyſteris, quum ex hoc grato odore hilares fiant; dein prodeſt hæc aqua in animi deliquiis, qui ſunt morbi ex defectu ſpirituum animalium orti, ſicut illorum, qui ſanguinem ex venâ apertâ ſalientem aſpicere nequeunt, egregiè enim reficit ſpiritus, nul-

lum

lum enim eſt organum, quod abſque minori læſione omnia percipiet quam ſolus odaratus; interne etiam cum aquâ pluviâ vel fontanâ in eodem caſu aſſumitur, externè tempora, nares, & partes nervoſas vel muſculoſas hac aquâ affricantur, in contuſionibus, vulneribus, odontalgia, gangræna, & humoribus frigidis hæc aqua cum magno ſucceſſu adhibetur. Ex floribus fit Conſerva adeo famoſa Anglicana, quæ vocatur *Conſerva florum Anthos*, & quæ fit ex floribus medio die carptis, cum ſaccharo contuſis & in theca poſtea ab aëre aſſervatis; hæc conſerva eſt optimum remedium in vertigine à cauſâ frigidâ, in omnibus morbis frigidis; hinc ſummum ſtomachicum eſt ab eadem cauſâ hoc remedium convenit in lema lippea oculi non ex inflammatione. Folia hujus plantæ in vino cocta conducunt in nervis confortandis; fit etiam conſerva ex foliis pro pauperibus; oleum hujus plantæ fit ex floribus & foliis & eſt Cephalicum, Antiſcorbuticum Emmenagogum, & quaſi ad Sabinam accedit, in Epilepticis eſt primarium medicamentum, ſanat ſymptomata quæ in hyſterica paſſione oriuntur, expurgandis lochiis & menſtruis valet; nam eſt ſummum arcanum quibusdam mulieribus, ubi partus vel menſtrua ex vitio corporis retardatur, tum guttas aliquot hujus olei dant cum vino.

Leonurus.

Nomen ab *ὀρὰ cauda* & *λέων leo*, quia galea floris Leonis caudam referre videtur. Nulla eſt virtus medicata.

Car-

Cardiaca.

Character. Caulis fungosus, angulosus, medullosus, crassus; folia Marrubio majora, Urticam referentia, subrotunda, profunda incisa, semina nigricantia; Radix fibrosa, tota planta habet odorem penetrantem, & saporem amarum, crescit in locis incultis, & lapidosis.

Nomen. A *καρδία cor* aut *superius ventriculi orificium*, ubi est summus sensus, & nonnunquam atrocissimos dolores patiuntur ægri, si verò folia hujus plantæ contrita ibi loci externè, ubi dolores internè sentiuntur, imponantur, tum ventriculi dolores sedant, vel plantæ sunt cordi utiles belgicè dicitur *Hertsgespan.*

Vires. Hæc herba est amarissima & penetrantissima, contra palpitationes cordis à polyposa concretione conducit, si nempe à materiâ pituitosâ oriatur, nam eam dissipat, sic si mucus obsideat orificium ventriculi, eum expedit, & solvit, credo quod hujus infusum cum aqua vel aceto ipso infuso Bezoardico, Pedro del porco aliisque pretiosis infusis longè superet, nam sapor ferè est idem, non est *Leucoperdum Veterum*, ut alii volunt, sed est Marrubium pallustre glabrum sic dictum. Est planta leniter calefaciens, & purgans sine alvi subversione, in summo est usu, ubi materia facile est dissipabilis, ut ad tumores frigidos dissipandos ut & in inflammationibus, gangrænam curat, folia infusa sunt sudorifera, in vulneribus & contusionibus folia contusa & applicata sunt optima, urinam & menstrua obstructa provocat

provocat, difficulter parturientibus opitulatur, in febribus intermittentibus convenit, ventriculi morbos, si à lumbricis, acido, & languore oriantur, tollit, & calore suo nervos afficit, ita ut quoque juxta Recentionum sententiam sit cardiaca, quasi cordi robur dans, & juxta Veteres herba, quæ tollit Cardialgias; medetur Distentioni hypochondriorum & Cardiæ infantum.

Teucrium.

Character. Caulis crassus, corticem album habens, & in ramos albos divisus; folia oblonga, aut obrotunda, in margine incisa, in parte superiore alba, in inferiori viridia, saporis amari, hæc planta semper est viridis & crescit in Regionibus calidis ut in Italia circa mare.

Nomen sic dictum *à Rege Teucro profugo*, qui eam plantam primò adhibuit apud veteres. *Tournefortius* malè hanc cum Chamædri confundit, cum facilè distingui possit. Nulla in his virtus.

Chæmadrys.

Character. Caulis tenuis, lanuginosus, rubicundus, folia minima, per intervalla se invicem opposita, oblonga, villosa, dentata, saporis amari, acris, & aromatici; flores in foliorum alis nascentes, coloris purpurei, saporis grati, semina obrotunda, in capsula, quæ flori tanquam calix inserviit, inclusa; radix fibrosa, minima, lignosa; crescit hæc planta in locis incultis. *Rapinus* de hac plantâ canit.

In-

Interea gelidos per fontes uda Chamædrys
Gaudet, dentatis cervice simillima serris.

Nomen. A χαμαὶ *humilis* & δρῦς *quercus*, quasi *humilis quercus*, quia folia hujus plantæ Quercum referunt.

Vires. Hæc planta est aperiens, febrifuga, diaphoretica, & incidens, laudatur à virtute amara, balsamica, calefaciente & aperiente hinc in chronicis est optima, hanc plantam in scorbuto, acido pituitoso & Podagra semper præscriptam videtis à Veteribus, folia in vino albo infusa & mane jejuno stomacho hausta conducunt in chlorosi & virginibus pallidis, folia instar Thée infusa conveniunt in Podagra & Doloribus Ischiaticis; quando hæc planta hoc modo per aliquod tempus usurpatur, tum omnem sanguinem meabilem & æquabilem reddens perspirationem auget, ne morbus præsens lædi possit; menstrua obstructa provocat, ulcera fœtida detergit, urinam & sudorem movet, hinc conducit in febribus, sanguine coagulato, & hydrope, externè in scabie, pruritu ac catarrhis exsiccandis; convenit in Cataplasmatibus, & oleum etiam adhibetur, in difficili partu succus expressus mirè juvat, inter Cephalicas plantas recensetur, aperit & summopere roborat; in Rheumatismo est optimum remedium. Ab hac planta semper egregium successum observavi, si ægri moderatè vixerint, & morbus non sit à materiâ calidâ.

Marum.

Marum.

Character. Caulis obrotundus, aibefcens, lignofus, habens folia Serpilli, in parte fuperiori viridia, in inferiori albefcentia, tota planta habet odorem gratum, & faporem acrem; crefcit in regionibus calidis.

Nomen. *Marum quafi amarum*, quia hæc planta eft valde amara.

Vires. Hæc eft benigniffima planta, fi hujus foliola contrita fubolfeceris, tum odor cerebrum inftar falis volatilis petit, fi folia æftate à fole ferventi quafi fint exufta, tum nullum habent odorem, fi non vehementiffimè conterantur, hinc hoc modo verum fal volatile acidulum componitur, cui neque ars neque natura fimile dedit, quod fal contra Apoplexiam, lethargum, Hyftericos & Epilepticos infultus eft optimum, fi nempe hi morbi à caufa frigida fint orti; hujus fpiritus in quodam loco fparfus gratiffimum fert odorem, & fi intra chartam ponatur, per annos manet odor, eft planta egregia in Phlegmate à ftomacho, Hydrope Anafarca, in ftomachi vitiis & uterinis, fi conferva cum fpiritu vini detur fit fpiritus fuperans longè aquam Reginæ Hungariæ; conducit etiam in morfibus venenatis, & halitu fætido, ingreditur in compofitionibus multis, ut Theriacis. *Tournefortius* hæc planta ad Chamædrin retulit.

Chamæpitys.

Character. Caulis villofus, lignofus, repens; folia oblonga angufta, villofa, dentata, al-

bef-

bescentia, semina oblonga, nigra, in capsula, quæ flori tanquam calix inserviit, inclusa; radix crassa, fibrosa, longa, lignosa; tota planta habet odorem penetrantem, resinosum & ingratum, sapor est amarus; crescit in montibus & locis sabulosis.

Nomen. Chamæpitys a χαμαὶ *humilis*, & πίτυς *pinus* quasi *humilis pinus*, quia folia hujus plantæ Pinum referunt.

Vires. Hæc planta est aperiens incidens, cephalica, emmenagoga, diuretica & vulneraria. In Podagra & affectibus nervorum, & doloribus Rheumaticis ad crura conducit, si folia in aquâ vel vino cocta assumantur, sanguinem coagulatum resolvit, Epilepsiam & Colicam curat; in doloribus Arthriticis & Ischiaticis est specifica, oleum inde extractum instar olei Therebinthinæ agit, in Asthmate convulsivo singulariter convenit, ab aliis in mictu cruento & Catarrhis laudatur; menstrua obstructa provocat, ex ejus succo fiunt *pilulæ Nicolai salernitani*, quæ pilulæ in morbis Arthriticis ~~sunt~~ optimæ; in Theriaca Adromachi ingreditur, uti & Unguento Martiato, ex hac planta etiam fit Conserva optima, dicitur per sudores venena posse expellere.

Scordium.

Character. Caulis ramosus, quadratus, repens, villosus folia mollia, villosa, in margine incisa, oblonga albescentia, semina obrotunda, minima; radix in terrâ repens, fibrosa. Tota planta habet odorem Allii & saporem amarum adstringentem, crescit in locis humidis & paludibus.

Nomen.

Nomen. a σκόροδον *Allium*, quia Allium redolet.

Vires. Prima est unicum & tutum Remedium deprehensium contra pestem, *Rudbechius* deprehendit, quod hæc planta in cadaveris ore intestinis & naso intrusa conservet corpus à putredine, apud veteres ingrediebatur in omnibus medicamentis contra morsus rabidi animalis venena; omne peregrinum præcipuè ad putredinem inclinans per sudorem expellit, habet amaritiem intolerabilem, & nauseosam, sed tamen non nauseam faciens, hinc omnes vermes & insecta necari videntur hæ plantæ, sed hinc non dico, an verum sit, ut *Kircherus* aliique putant ova insectorum tunc temporis ex aëre haurire & sic pestem fieri hinc hanc herbam modò hos vermes necare, gangrænam curat, & tumores resolvit, in febribus intermittentibus convenit hæc herba, externè vulnera ac ulcera depurat, dolores podagricos lenit, succus expressus datur cum saccharo contra pulmonum vitia; de virtutibus hujus plantæ *Fracassatus* multa scripsit, ut & *sylvius in sua praxi* ex hac herbâ laboriosa Tinctura, sed penetrantissima extraxit, sed in officinis & apud Pharmacopolas labori parcentes non ita habetur, hinc si in his certi esse velimus, nos ipsi conficere debemus, hoc extractum dicitur *Diascordium sylvii*, cæterum potest supponi pro *Mitridatio Phyllonio Mesuè*, ut summum Remedium, Conserva est sudorifera, Phtysicis Asthmaticis, Virginibus Chlorosi & Menstruis obstructis laborantibus conducit; folia vino infusa prosunt Hydropicis. Secunda in Chirurgia recipitur, folia enim ejus contusa cum aceto lythargyri & sale Gangrænam & Cancrum sanant.

Polium.

Polium.

Character caulis obrotundus, tenuis, durus, lignosus, folia oblonga, lanugine flavo instructa, dentata, crassa, flores aurei coloris, odoris penetrantis aromatici, saporis amari, semina obrotunda, minima, in capsula, quæ flori tanquam calix inserviit, inclusa; crescit hæc planta in regionibus calidis in montibus.

Nomen. a πολιὸς *incana*, quasi *herba incana*, quia Veterum Polium erat album.

Vires. Hæc planta putredini resistit; & hoc schenkius marinus conditur, ut à putredine servetur, nam nolunt hoc luxuriosum animalculum sale vel aceto condiri. Est planta amara multum ad Scordium accedens, urinam movet, menstrua obstructa provocat, icterum curat, flores & folia instar Thée infusa conducunt in morbis soporosis hinc & Epilepsia, Quid verò Polium Veterum fuit, ignotum est, ingreditur quoque confectionibus magnis & opiatis & quoque Theriacæ, dicitur valere contra morsus animalium venenatorum.

Bugula.

Character. Hæc planta duos habet caules, unus flores habens & quadratus, alter tenuis & repens, bini aliquantulum lanuginosi. Folia oblonga, Origano majora, ampla, mollia, aliquantulum in margine incisa, saporis subdulcis, postea amari & adstringentis, flores in spica verticillatim orti, labio brevi staminibus ornato, inferiori trifido, media parte procumbente bifida & majore. Semina obrotunda, in

capfula, quæ flori tanquam calix inferviit, inclufa, radix fibrofa, faporis adftringentis. Secunda eft confolida minima & Symphytis mas eft confolida major.

Vires. Flores & folia hujus plantæ decocta conducunt in nimia menftruorum fluxu, Dyfenteria, fputo fanguinis, Hæmorrhagia, & fluore albo, fuccus ex foliis expreffus & melle edulcoratus convenit in oris & Pulmonum ulceribus, Aphthis, & omnibus morbis faucium, vulnera detergit & confolidat, urinæ retentioni & Herniis convenit, ejus fuccus eft fuavis lenis & faponaceus, unde eadem hic conveniunt, ac dixi de plantis, quæ titulo Brunellæ habentur, convenit ergo in omni inflammatione, & in omni acri, quia laxat, fed hic debetis monere; ut fumant herbam recentem, & addendo paululum aquæ conterantur in mortario marmoreo cum piftillo ligneo, & tum illud viscidum habes, quod in infufo avolat, fi verò fit planta valde aromatica, tum fieri debet infufio in aqua fervida fine ebullitione vafe claufo per aliquot horas, & fic harum herbarum vis optimé habetur. Sexta eft omnium rarisfima.

Mentha.

Character. Caulis ramofus, quadratus, & rubicundus, folia oblonga, acuta, angufta, aliquantulum lanuginofa, in margine incifa, femina oblonga minima, radix fibrofa, longa & repens, hæc planta habitu & quodammodo odore diftinguitur à verticillatis non barbatis reliquis.

Nomen μίνθα eft *vox græca* quæ dicebatur apud

pud Veteres *Dea*, ut & apud Poëtas, vocatur & apud Veteres *ἰρδισσμος fuaveolens*, & quando hanc vocem invenit :,tnm hæc planta intelligitur; Mentha etiam vocatur à Menthe, quia hæc planta memoriam & mentem confortat, omnibus his plantis eſt ferè eadem vis ſapor & odor.

Vires. Prima & ſecunda pro pulcherrimis habentur, hæc Pulegii odorem & ſaporem habent; hinc ſic uti poſſunt. Duodecima dicitur belgicè *bruynheylige*, quia mirificè hominibus prodeſt, laudatur à vi acri balſamica, & aromatica, calefacit, laudatur, à ſingulari virtute, quâ ventriculo prodeſt. *Sydenham* dicit ſe ſingultum & vomitum cum aqua Menthæ curaſſe, ſi nempe ſingulis horis frigidè detur ad unicam unam, in atrabiliariis & hyſtericis quoque conducit, in Dyſenteriâ ſangineâ contuſa herba abdomini applicata eſt ſummum Remedium, ſed genituram exſtinguere dicitur, ſed rationem, quare hoc dixerint Auctores, neſcio, puto potius contrarium obtinere. Eſt planta carminativa, multos ructus ciens, ut *Martialis* convivia parans optimé canit.

Nec deeſt ructatrix mentha nec Herba ſalax.

Curat omnia ſtomachi vitia, & omnes dolores Iliacos, quando à frigidâ cauſâ oriuntur, in ſcorbuto conducit, urinam movet, menſtrua obſtructa provocat, herba cocta faucium eriſipelata & inflammationes extavertit, ut externè erumpant, & internè liberentur, ſi nempe externæ faciei imponatur herba cocta cum ſero lactis Spiritus Menthæ ad guttas paucas cum vino hiſpanico multum proficit ad ſtomachi morbos, externè folia vel ſpiritus ejus

M 2 cum

cum vino Rhenano abdomini applicantur, ad vomitum ſiſtendum. Ex tenellis apicibus fit conſerva, quæ eſt optima, inde etiam paratur ſpiritus, qui omnes carminativos fere ſuperat, eſtque ſummum Cardiacum, uti & oleum in Chemicis demonſtratum, ex quo fit Eleoſaccharum & balſamum, quod ad convulſiones frigidos prodeſt, & in contuſionibus & vulneribus eſt optimum remedium; hæc herba etiam lumbricos necat.

Pulegium.

Character. Caulis quadratus, longus, repens, villoſus, folia obrotunda ut Majoranæ, ſed magis mollia, nigricantia, ſemina, minima, radix fibroſa,

Nomen. à *Pulex*, quia hæc planta accenſa pulices pellere dicitur.

Vires. Hæc planta eſt aperiens, antihiſterica, folia decocta materiam glutinoſam & viſcoſam ex pulmonibus educunt, præſertim ſi mel & aloe addantur huic decocto, in menſtruis obſtructis & fluore albo convenit, ex hac plantâ conſerva facta conducit in hydrope & ictero, folia inſtar Thée infuſa proſunt in Aſthmate; hæc planta eſt optima ad morbos pectoris, & motum materiæ lentæ & robur partium excitandum; exhibeatur etiam Phyſicis, pro Emmenagogo uterino extrinſecus applicato convenit, inde fiunt balnea, fomenta, ſyrupus ejus tuſſim convulſivam Infantum curat *teſte Boyleo in tractatu de ſpecificis medicamentis.* Succus ejus expreſſus & cum ſyrupo quodam aſſumptus eſt optimum medicamentum, eſt planta mirè balſamica & aroma-

matica, ut ilico ſpiritus excitet, cæterum virtus ad Mentham accedit, calculum ac urinam pellit, externè capiti prodeſt, vertiginem diſcutit, doloribus Arthriticis convenit, ſomnum arcet, cutis pruritum curat, dentes abſtergit.

Lycopus.

Character. Caulis quadratus, durus, rugoſus, villoſus, folia ſunt longiora, duriora Marrubio nigro, in margine magis inciſa ſine lanugine, tamen aſpera, nigricantia, ſemina minima, obrotunda; radix repens, fibroſa.

Nomen. à λύκος *lupus* & à πȣ̃ς *pes*, quaſi *Pes lupi*, quia veteres credebant, hujus plantæ folia pedes lupi referre, apud veteres multa de hac herba prædicantur, ſed an ſit eadem planta, neſcio, omnes vulnerarias herbas ſic vocabant, ſed de hujus virtute tamen nil conſtat.

Verbena.

Character. Caulis ramoſus, aliquantulum lanuginoſus, durus, anguloſus, aliquando rubicundus, folia profundè inciſa, oblonga, rugoſa, ſaporis ingrati & amari: ſemina tenuia, oblonga, ſe invicem juncta; radix fibroſa, oblonga, craſſiuſcula, ſaporis amaricantis. Creſcit in locis incultis.

Nomen. Dicitur *verbena* à *verrere*, quia olim ad altaria purganda inſerviebat; *Peristerium* à περιστερα *columba*, quia à columbis adeo amatur, nulla eſt herba, de quâ tam multa dixerunt veteres ad rem vulnerariam, quia Heterogenea pellit, unde dicitur *herba*

 vul-

vulneraria, ſeu Syderitis ſpecies, nulla de qua plus Poëtæ finxerunt, nulla, quæ plus in ſacrificiis laudata, unde dicitur *Hierobotane* ab ἱερὰ *ſacra* & βοτάνη *herba* quaſi *herba ſacra*, hæc (unde dicitur Jovis menſa) ponebatur in aris, & cum eâ purgabatur ara, hinc ſervus apud *Terentium* dixit, *tolle verbenas ab ara*, ſic nulla de qua plus Magi fabularunt; dixerunt enim, quod ſi circulo circumſcripto, ſiniſtra manu, antequam ſolem & lunam vidit, carpatur, tum omnibus ille erit compos, & ſi dextra manu evellatur, tum nil arridere, hæc ſuperſtitia nondum deſinunt, Auctores dicunt pueros, ſi hanc plantam maſticent, ſine dolore dentes accipere; contra convulſiones & incantationes valere dicitur, eſt aperiens, detergens, depurans, roborans & febrifuga, folia vino infuſa conducunt in Chloroſi, & Ictero, pulvis ex foliis factus prodeſt in Hydrope, ejus ſuccus febres intermittentes curat, folia inſtar Thée infuſa proſunt in paſſionibus hyſtericis, folia contuſa & forma cataplasmatis adhibita eſt optimum reſolvens in Dolore lateris & Pleuritide, aqua ejus deſtillata uti ejus ſuccus Oculorum inflammationes curant, & omnia vulnera; lac in mulieribus lactantibus auget, in calculo renum & veſicæ & in Colica flatulenta prodeſt, in omnibus affectibus capitis eſt optima planta, Tuſſim inveteratam & Dyſenteriam ſanat, Arthritidem mitigat, partum difficilem facilitat, in Angina & Raucedine eſt optima planta, ut & in procidentia ani, libidinem coercet, externe Cæphalalgiæ, & Odontalgiæ conducit, in ſputo vel mictu ſanguinis convenit, hinc inter plantas vulnerarias refertur.

Ber-

Borrago.

Character. Folia oblonga, fere obrotunda, villosa, ampla, plerumque repentia: Caulis ramosus, debilis, excavatus, rotundus, flos stellatus, amplus expansis petàlis mucronatis; semina nigra; radix crassa, longa, habens succum viscosum & crassum, nemo Botanicorum hujus herbæ meminit nisi primò *Tournefortius.* Provenit primo æstivo tempore si calor urgeat.

Nomen. **Borrago** quasi *corrago* quod Galli idem significat ac *courage*, quia tam bene spiritus excitat; unde versiculus.

Hoe komt dat Bernayse ons geeft soo veel couragie.

Vires Hæc planta in curandis morbis calidis est optima, nam liquefacit, laxat, exhilarat, nunquam movet, nec stimulat; hinc laudatissimum est cardiacum in his morbis, inde in febribus maximè commendatur, flos benignissimus atque cardiacus unus ex quatuor cardiacis, si cum saccharo in conservam redigatur, fit inde optimum cardiacum, hæc planta contra bilem exasperatam vobis commendabo, succus expressus saporem spumantem refert sine ulla acrimonia, nam est subdulcis saponaceus, & pro summo solamine in morbis adhibetur, si cum sero lactis vel syrupo citri gratior redditus diluatur, tum in omni morbo inflammatorio, Podagra, Phrenitide, Paraphrenitide, & Peripneumonia convenit, solatium fert omnibus tristibus, post crocum herba magnanimitatis vocatur.

Bugloſſum.

Character. Folia longa, villoſa, aſpera, mediocriter ampla, coloris viridis fuſci, ſplendentis, ſemina quatuor viperæ caput referentia, in capſula, quæ flori tanquam calix inſerviit, incluſa, ſaporis amygdalarum. Radix longa, obrotunda, digiti craſſitie, intus alba, extus nigra. Tota planta habet ſuccum viſcoſum.

Nomen. Bugloſſum à græcâ voce βȣγλωσσος, ex βȣ̃ς *bos*, & γλῶσσα *lingua*, quaſi *lingua bovina*, quia folia hujus plantæ figura & aſperitate ſua linguam bovinam imitantur.

Vires. Hæc planta eſt humectans & refrigerans; hinc melancholicis & hypochondriacis convenit; in tuſſi inveterata & omnibus morbis pulmonum prodeſt, flores inter quatuor flores cordiales annumerantur, folia & radices in decoctis pectoralibus adhibentur, ſuccus ejus cum magno ſucceſſu in Pleuritide datur, ſyrupus ex hac planta factus convenit in melancholia, ſpecificè quoque prodeſt ad menſium ſuppreſſiones.

Anchuſa.

Character Caulis repens, folia Bugloſſi ſilveſtris, longa, aſpera; radix longa, mediocriter craſſa, foris rubicunda, intus alba, lignoſa, colore rubro inficiens ſaporis dum recens paululum adſtringentis & inſipidi, odoris nullius.

Nomen. παρὰ τὸ ἄγχειν, quia anginam curat, quod verum eſt, aliis à radicis colore, & floribus ἀγχίσειν erat *ſucco illinire.*

Uſus.

Usus. Radix eſt valde aperiens, paulo tamen adſtringens, dat ſuccum ruberrimum à pictoribus amatum, nam pulchrum rubrum colorem dat; hæc radix debet eſſe recens, flexilis, tamen ſicca, ſi ungue fricatur, hanc partem rubro colore inficiens; tota hujus radicis rubedo tantum à cortice externo provenit; externè adhibetur in ulceribus inveteratis exſiccandis, uti internè in Decoctis contra Diarrhæam.

Lithospermum.

Character. Caulis villoſus, aliquandò rectus vel repens, durus, rotundus, tenuis, aſper, in ramos diviſus; flos monopetalus, infundibuliformis, piſtillum abit in quatuor ſemina ſtridula, dura, polita, minima, alba, ſplendentia, obrotunda vel ovalia; folia, longa, anguſta, acuta, ſine caule adhærentia, villoſa, Radix lignoſa, fibroſa, digiti craſſitie, calix quinquifidus profunde diviſus, creſcit hæc planta in locis incultis.

Nomen. A λίθος *lapis* & σπέρμα *ſemen*, quaſi *ſemen lapidis* quia hujus plantæ ſemen eſt durum, & conducit in calculo renum & veſicæ, nam ſi ad uncias tres in vino aſſumatur, prodeſt ad calculum, ut vulgò dicitur, vocatur etiam *millium ſolis* quia milium referens ad ſolem ſe vertit: licet hoc omnes plantæ faciant, verum ſic quoque dicitur, hæ quoque creſcunt, ſi ſol redeat poſt ſolſtitium.

Vires. Veteres ſemen hujus plantæ contritum & vino albo infuſum commendarunt, tanquam calefaciens, diureticum & aperiens, dicitur eſſe optimum remedium in urinæ re-

tentione; urinam movet, menstrua obstructa provocat, colicam flatulentam & nephriticam curat, Partui difficili succurrit, dicitur semen calculum frangere, quod non puto verum esse, sed hinc ortum est, quia semen calculum refert quoad duritiem & figuram.

Heliotropium.

Character. Caulis lanuginosus, ramosus, medullosus, albescens; folia nervosa subrotunda, oblonga, albescentia, & villosa, semina oblonga, se invicem conjuncta, in una parte obrotunda, in altera compressa coloris cineritii. Radix lignosa fibrosa.

Nomen. *Heliotropium* ab ἥλιος *sol* & τρέπω *verto*, quia hujus plantæ caput soli obvertit, sed hoc facit tota hæc gens, hinc puto potius sic dictum, quia Heliotropium veterum florere solet circa solstitium, quando sol revertitur.

Vires non habet.

Asperugo.

Character. Caulis angulosus, tenuis, nodosus, tener, asper, repens; folia aspera, mediocriter ampla, oblonga; semina oblonga, minima, nigricantia; radix minima, calix abit in duo fimbriata foliola quæ sibi ante incumbentia formant vasculum, in quo quatuor semina hærent.

Nomen. *Asperugo* dicitur ab *aspero*, quia tota hæc planta est aspera; fructum habet instar pedis Anserini. Vires habet nullas.

Cynoglossum.

Character. Caulis ramosus, lignosus, folia lanuginosa, mollia, longa, aucta, angusta, albescentia, odoris penetrantis; radix longa, recta, crassa, externè ex atro rubens, internè albescens, odoris graviusculi, aliquid fætidi canis redolentis, narcotici, si crescat in locis humidis, in siccioribus inodora fere, naribus admota somnum conciliat, est saporis fatui mucosi aliquando subdulcis. Hæç planta crescit plerumque in locis siccis & desertis.

Nomen. A κυνὸς *canis* & γλῶσσα, *lingua*, quasi *lingua canina* quia folia hujus plantæ canis linguam referunt.

Vires. Hæc planta est refrigerans, emolliens, adstringens & anodina, Radices folia & semina habent vim narcoticam, nam si cum vino & sale externo vulneri apponantur, sedant dolores, folia recentia in pauxillo lactis decocta & instar cataplasmatis imposita inflammationes & tumores calidos sedant, est planta anodyna, sed si in majori assumatur copiâ, fit Narcotica, Radices decoctæ in Diarrhæâ, Dysenteriâ, ardore urinæ, Gonorrhæa, Tussi convulsione, Hæmorrhagiis, sputo sanguineo & Catarrhis conducunt, Cataplasma ex foliis cum lacte factum convenit in fibris contractis, ut in Podagra & Arthritide. Ex succo fiunt pilulæ adeo famosæ de Cynoglosso; Hæc planta meritò ad narcotica refertur, nam vis eadem, ac in Opio reperitur, ferè in ea existit.

Omphalodes.

Character. Hæc planta eſt humilis, repens, Symphytum referens, ex Radice folia Pulmonariæ erumpunt, ſed minora, non maculata, viridia, acuta, caulibus longis adhærentia, Caulis tenuis, pauca folia habens, Radix fibroſa minima.

Nomen. *Omphalodes* ab ὀμφαλὸς, *umbilicus*, quaſi *herba Umbilicalis*, quia calix excavatur, ut umbilicus in homine, primo vere prodit flos, aureo ſuo colore ſplendens, nonnulli habuerunt pro Borragine, ſed hæc planta non eſt adeo ſucculenta.

Pulmonaria.

Character. Caulis anguloſus, villoſus, coloris purpurei, Bugloſſum referens, folia repentia, ex radice erumpentia, ſtipiti adhærentia ſine caulibus, oblonga, acuta, ampla, in medio nervum habentia, lanuginoſa, plerumque maculata, ſemina obrotunda, in capſula incluſa, Radix fibroſa, ſaporis viſcoſi, hæc planta creſcit in ſylvis.

Nomen. *Pulmonaria* à *pulmone*, quia veſiculæ quaſi albæ inhærent ac in pulmone inflato, ſed alii putant ſic dici, quia pulmones juvant, & eſſe princeps medicamentorum, pulmonarium, habet quidem ſuccum benignum, ſed puto hoc in caſu non magis præſtare, quam Borrago, vel Cynogloſſum, & hanc vim ipſi à nomine eſſe datam, nam æquè convenit in omni morbo, ubi demulcendum, emolliendum, laxandum, quam in morbis pulmonum.

Vires.

Vires. Vis eſt ut Malvæ emolliens, conglutinans, conſolidans, humectans, & inſpiſſans herba, in ſputo ſanguinis hectica & Phtyſi vel folia vel flores commendantur, inter vulnerarias plantas refertur, in aſperitate pulmonum, Tuſſi diuturna maximè valet; hinc in pleuritide, Peripneumonia & Hepatide, ubi expectoratio requiritur, convenit, lenit Anhelitum, & Renibus æquè prodeſt.

Echium.

Character. Caulis lanuginoſus, viridis, & punctis nigris inſtructus, folia anguſta, oblonga, aſpera, lanuginoſa, ſaporis inſulſi, flos monopetalos ex anguſto in latum inſtar cornu venatoris expanſus, ſuperior pars ſupra reliquas eminet, formatque quaſi galeam, ſemina ſe invicem juncta, aſpera, ſingula caput Viperæ referentia; radix craſſa, longa, & lignoſa, creſcit hæc planta in arenoſis locis circa muros.

Nomen. Echium ab ἔχις *vipera*, quia ſemina matura viperæ caput referunt, *herba Viperaria* dicitur, quia Veteres crediderunt, hanc plantam viperas necare, quod non credo; Cæterum medicina non multum de ea novit.

Symphytum.

Character. Caulis lanuginoſus, aſper, craſſus, excavatus, folia ampla, longa, aſpera, lanuginoſa, acuta, coloris viridis obſcuri, flos cylindricus pendulus, ad marginem quinquifidus, profundè diſſectus, ſemina ſe invicem conjuncta, ſplendentia, nigra, ſingula viperæ

caput referentia, in floris calice incluſa; radix pollicem craſſa, oblonga, nigra, intus alba, ſurculoſa, fragilis, ſuccum glutinoſum, in quo ejus ineſt virtus, in ſe habens, ſaporis ſubdulcis mucilaginoſi, & viſcidi odoris nullius. Hæc planta creſcit in locis humidis.

Nomen. Symphytum. A σὺν *cum* & φύω *adnaſcor*, quia hæc planta eſt conſolidans & vulneraria, quæ carnibus renaſcentibus valde inſervit, vel à συμφύω *conglutino*, quia ſi folia vel radices cum carne decoquantur, caro iterum abit in unam maſſam, hinc *conſolida major officinarum*.

Vires. Prima viſcoſum & glutinoſum ſuccum habet, & ubi vulnera vel ulcera mala in corpore, ubi Hæmorrhagia eſt, ubi in Hæmoptoe, mictu ſanguinis & phtyſi optimè convenit, ſuccus ejus eſt glutinoſus omnia conſolidans, & blandè inſpiſſans, flores idoneo tempore collecti cum ſaccharo contuſi in conſervam rediguntur, *Dioſcorides* dicit, quod ejus radices cum foliis ſenecionis contuſæ inflammationibus Hæmorrhoidum proſunt; Radix hæc ſi interponatur conciſæ carni & cum ea coquatur, tum carnem agglutinare facit; hinc maximè conſolidat, cæterum ſapor eſt fatuus, ſed demulcentiſſimus, ejus ſuccus eſt optimus in ſputo ſanguineo ex nimiâ tenacitate & Herniis, *ſyrupus de ſymphyto Fernelii* ex floribus convenit ad aſperitatem pulmonis, non verò in tuſſi ſenili, nam eam auget; Radices hujus plantæ contuſæ & forma cataplasmatis applicatæ conducunt in Tendinum puncturis, & doloribus podagricis; in Dyſenteria & exulceratione renum & veſicæ ex cantharidibus ortâ prodeſt; datur ut Althæa, ſed ob craſſio-

rem

rem mucaginem in minori dosi, flores contusi & cocti syrupo Althææ postea addito faciunt optimum cataplasma ad vulnus recens consolidandum; prodest etiam hæc planta in Phtysi & fracturis ossium.

Cerinthe.

Character. Hæc planta ex radice quatuor vel quinque ramos germinat, qui rami rotundi succo sunt pleni; folia oblonga, acuta, lanuginosa, punctis albis instructa, flos tubulosus in medio ventrem habens, infra & supra quasi connivens; semina seu potius vascula singulis floribus bina succedentia, obrotunda, acuta; radix est alba, Hæc planta crescit in montibus.

Nomen. Cerinthe à *κηρὸς cera*, quia apes tempore æstivo dum favos construunt, ex hacce planta, quam valde amant, succus eliciunt, unde faciunt ceram.

Gymnotetrasperma Tetrapetalæ.

Potamogeiton.

Character. Caulis ramosus, nodosus, tenuis, longus, rotundus, folia longa angusta, Gramen referentia, sed postquam hæc planta super aquam crevit, tum sunt ampla ut Plantaginis, ovalia, nervosa, acuta, splendentia in superficie aquæ natantia, longis caulibus adhærentia, flos expansus, Leucous (unde multis *Leucojum aquaticum*) petalis constans, nudus, calice carens, pistillum floris abit in quatuor semina, capita referentia, satis

tis magna, oblonga, acuta, dura, rubicunda, medullam albam habentia; radix craſſa, nodoſa, alba, rotunda, repens, ſe in terram profundè extendens, fibroſa. Hæc planta creſcit in paludibus.

Nomen. *Potamogeiton* dicitur à ποταμὸς *fluvius*, & γείτων *vicinus*, quaſi *planta creſcens circa flumina aut loca aquatica. Fontalis*, vocatur, quia circa fontes creſcit; *Millefolium* à foliorum tenuitate, *Viola aquatica*; à *colore floris.*

Vires. Hæc planta dicitur habere vim refrigerantem, ſed puto hoc eſſe factum, quia eſt planta aquatica, maximus eſt error, omnes plantas aquaticas refrigerare, nam Cochlearia & Naſturtium ſunt plantæ acerrimæ.

Plantæ Monangiospermæ.

Plantæ ſequentes vaſculares dicuntur, quia ſemina vaſcula continent, piſtillum floris abit in capſulam, quæ in medio ſuo ſtylum habet, dicitur Botanicis placenta, cui ſemina quam plurima adhærent, matureſcunt, capſulæ dehiſcunt, ſeminaque de planta diſcutiunt, dividitur hæc claſſis à duplici cauſâ vel *α.* juxta numerum vaſculorum, ut *Monangiæ*, quæ unum vas gerunt, cum placenta, cui adnaſcuntur ſemina plurima, 2. *Diangiæ*, 3. *Triangiæ*, 4. *Tetrangiæ*, 5. *Pentangiæ*, 6. *Poluangiæ*, *β.* juxta figuram vaſculorum, tum ſunt *Siliquoſæ*, *Siliculoſæ*, & *Bivalves.*

Primula Veris.

Character. Folia ampla, oblonga, aſpera, rugoſa, repentia, ex his erumpunt caules lanuginoſi,

nuginosi, rotundi, nudi; flos hypocrateriformis, calix amplus, profundè sectus, quinquifidus assurgens, varius, his floribus succedit capsula ovalis continens in se semina minima, obrotunda, nigra; radix est satis crassa, squammosa, rubicunda, fibrosa, saporis adstringentis, odoris grati aromatici; hæc planta crescit in pratis & sylvis.

Nomen. *Primula Veris* dicitur, quia ex primis omnium tempore vere floret hæc planta; *Casparo Bauhino* vocatur *Verbascum vernum*, differentia petitur à floris colore, magnitudine, numero, si sunt flore unico in uno pedunculo, vel pluribus, vel unico sunt simplici vel pleno, caulis est vel nudus vel foliosus, flos simplex vel proliferus, folia in his edulia belgicè dicuntur *backkruydt*, quia placentis admiscentur.

Vires. In Paralysi laudantur à defectu spirituum, folia edulia sunt in acetariis vel oleribus, vide *Boyleum* ex floribus succus expressus est antiparaliticus, nam reficit, floresque optimum suaveolentem & non nocentem odorem habent, & dissolvunt sine metu inflammationis, folia & radices hujus plantæ sunt aperientes conducunt in Apoplexia & Rheumatismo, in nervis & juncturis confortandis, externè conveniunt in tumoribus, qui ictus venenatorum animalium subsequuntur, & Arthritide. Acetum earum radicibus impraegnatum, ac loco errhini in nares attractum odontalgiam mirabiliter sedat; ex floribus fit conserva optima contra Paralysin, *Willisius*, & *Sydenham* hanc usurpant in morbis acutis; flores hujus plantæ dantur ut flores Tiliæ; quando

do ſunt tenuioris ætatis, tum ſunt hypnotici & anodyni.

Auricula Urſi.

Character. Folia ex radice erumpentia, repentia, Borraginem referentia, in margine aliquantulum inciſa, craſſa, lata, nervoſa, villoſa, aſpera, laciniata inſtar auris Urſi, Caulis nudus, ſine foliis, rotundus, ſolidus, habens ſuccum rubicundum, ſaporis dulcis & adſtringentis; calix parvus, quinquifidus, flos monopetalos infundibuliformis, piſtillum floris fit teſta rotunda, calici adhærens, per maturitatem diſſiliens in plurimas partes, habens placentulam, cui ſemina adhærent minima, anguloſa; radix fibroſa, rubicunda, lapidibus adhærentia, ſaporis adſtringentis, hæc planta creſcit in montibus, aliquando in locis humidis.

Nomen. *Auricula Urſi*, quia veteres crediderunt, folia hujus plantæ Urſi aurem referre.

Vires. Hæc planta vulneraria eſſe dicitur, quia habet ſuccum blandum immutantem humores nimis acres, vires ſunt Emollientes, refrigerantes & conſolidantes.

Androſace.

Character. Caulis lanuginoſus, nudus, in ſummitate in ſex aut ſeptem ramos Umbellam referentes diviſus; folia longa, lanuginoſa, ampla, nervoſa, in margine inciſa, in orbem repentia, calix valde amplus, & expanſus; flos monopetalos, infundibuliformis; vaſculum ſeminale exiguum per maturitatem in

quia-

quinque partes dehiſcit, habet in medio placentam cui plurimum adnaſcuntur ſemina oblonga, rubicunda; radix fibroſa, minima; hæc planta creſcit in locis maritimis.

Nomen. *Androſace* dicitur ab ἀνδρὸς *homo* & ἄκη *medela*, ſed quare hæc planta ita fuit vocata, neſcio, nam non habet quod ſcio vires medicatas.

Samolus.

Character. Folia oblonga, in initio anguſta, ſed poſtea uſque ad extremitatem eorum, ampliora, ſubrotunda, non crenata, in margine inciſa, caulis tenuis, non flexilis, obrotundus, habens folia obrotundiora & breviora aliis è radice erumpentibus, flos infundibuliformis major quam in præcedenti, his floribus ſuccedit capſula ſemina minima & rubicunda includens; radix fibroſa, alba, hæc planta creſcit in locis aquoſis, & habet ſaporem amarum.

Nomen. Belgicè dicitur *ſmallebeckeboom*, nam ad Veronicas accedit, ſed flos in his tetrapetaloides, hic vero pentaphylloides, præſtat virtute antiſcorbutica levi nitroſa.

Soldanella.

Character. Caulis erectus, tenuis, ſarmentoſus, flexilis, repens, rubicundus; folia obrotunda, ut in Tuſſilagine alpina, ſplendentia, polita, Chelidonium minus referentia, ſed craſſiora, habentia ſuccum lacteum, caulibus longis adhærentia, flores ut plurimum campaniformes & quaſi pendentes vaſculum ſeminale,

nale, ut in præcedenti. His floribus succedit, fructus obrotundus, membranosus, includens semina angulosa, nigra aut alba; radix minima, fibrosa, tota planta habet saporem amarum & salsum; crescit circa mare.

Nomen deduci videtur ex voce belgicâ *sentenelle*, de hac planta nil laudatur.

Lysimachia.

Character. Caulis lanuginosus, erectus, nodosus, ex nodis erumpunt folia acuta, Salicem referentia oblonga, angusta, bina, terna, quaterna, in parte superiori coloris viridis obscuri, in inferiori albescentis, flores monopetali rosacei, in quinque lacinias profundas divisi, post singulos flores pistillum fit vasculum totundum, quod per maturitatem dehiscit, & tum placenta matura semen excutitur, semina Coriandri, saporis adstringentis Radix ejus est rubicunda, repens, hæc planta crescit in paludibus & locis aquosis, *Morizonus* hanc Blattariam vocat, quia flos convenit, at fructus hic unicapsularis est, cum in Blattaria sit bicapsularis.

Nomen. Lysimachia dicitur à *Lysimacho Regis Siciliæ filio*, qui hanc plantam primus invenisse fertur. Hæc planta humida loca amat, nulla est virtus, nam quæ *Dioscorides* de illa planta laudat, non videntur huic convenire, & videtur alia esse planta. Quinta dicitur esse venenata.

Nummularia.

Character. Caulis tenuis, longus, repens, ramo-

ramosus, folia circinnatæ fere rotunditatis, ex adverso caulis repentia, viridia, saporis adstringentis. Flos monepetalos, multifidus, arctè cauli adnatus, huic flori succedit capsula vel testa rotunda per maturitatem dissiliens, ut prior, habens semina minima; radix parva. Hæc planta crescit in locis humidis.

Nomen. Nummularia à *Nummo*, quia ejus folia habent rotunditatem, ut referant nummum; vocatur *Centimorbia*, *quasi planta centum morbos curans.* Belgicè dicitur *Duysendkruyd*: ut *Fabius Columna* notat.

Vires. Succus ut in Becabunga, nam saponaceum aromaticum & balsamicum saporem habet, hinc eadem virtus; sapor est acris non ingratus, in quo, quid aromatici sentitur, & acidiusculi adstringentis. hinc idem facit ac Cochlearia cum acetosa mista, nam hoc facimus, ubi sanguinis sputum metuitur, hinc in omni scorbuto convenit, ubi materia fluidior, est reddenda sine periculo nimiæ resolutionis, ut in utero, ubi nimis sanguis fluit, quia si sistatur, oritur inflammatio, si non erit etiam morbus, & in hoc morbo etiam hæc herba prodest; folia cum vino cocta & melle edulcorata conducit in ulceribus pulmonum, fluxu albo mulierum, Diarrhæa, Dysenteria, Asthmate, sanguinis sputo, Hæmorrhoidibus, & Tussi sicca infantum, pulvis ex foliis factus convenit in infantum Herniis, folia contusa & forma cataplasmatis applicata ulcera fætida mundificant & exsiccant, putrefactioni resistit hæc planta, pus generat, roborat, multosque morbos curat, contra Arthritidem, Podagram, scorbutum, Hydropem, & Icterum succus adhibetur

tur

tur ad unciam unam vel duas mane jejuno ſtomacho, aperit, urinam alvumque ducit.

Anagallis

Character. Cauliculi teneri, repentes, folia parva, fere obrotunda, ſaporis acris & amari. Flores in quinque lacinias diviſi, coloris rubri, pedunculis longis ex alis foliorum erumpentibus adhærentes, his floribus ſuccedit fructus ſphæricus, membranaceus per maturitatem in duas partes diſſiliens, ſemina plerumque anguloſa, minima habens, Radix fibroſa alba; omnia fere ſunt ut in priori, niſi quod pedunculi longiores, & folia magis oblonga ſunt. Hæc planta creſcit in vinetis.

Nomen ignoratur Europæis, belgicè dicitur *guychelheyl*, quaſi *ſalus faſtinatorum*, id eſt *qui faſcina ſunt intentati.*

Vires. Juvat hæc planta cerebri morbos convulſiones & paſſiones hyſtericas; qui morbi ſemper Dæmonibus ſunt adſctipi, morſui canis rabidi ſubvenire à nonnullis dicitur, folia decocta conducunt in Epilepſia, Mania, & Morbis Hypochondriacis, eſt planta vulneraria & optima ſi externè contra morſus animalium venenatorum adhibeatur. Hæc herba viribus ſuis ſaponaceis & aperientibus multum præſtat, ſuccus in his fere idem, ut in Nummularia, niſi quod non ita ſit adſtringens.

Hydrophyllon.

Character. Radix quaſi Dentaria, folia Valerianæ ſylveſtris, flos campaniformis, in thyrſum globoſum congeſtus, ſit ſemen in

cap-

capſula, quæ dum matura eſt in duas valvas dehiſcit, in quibus recondunt ſua ſemina.

Nomen ab *ὕδωρ aqua* & *φίλος amicus* quia ad aquas creſcere amat, vis non eſt nota.

Gentiana.

Character. Caulis rectus, folia Hellebori albi, nervoſa, polita, altera ex radice, altera ex nodis caulium erumpentia, bina conjugata, flos monopetalos, tubiformis, in quinque lacinias diſſectus, piſtillum fit vaſculum ſeminale, bivalve, unicapſulare, ubi inſunt ſemina marginata & rotunda coloris rubicundi; radix longa, craſſa, in multos ramos diviſa, externè fuſca, internè ex flavo rubeſcens, ſaporis intenſè amari, odoris nullius, Hæc planta creſcit præſertim in montibus.

Nomen. Gentiana à *Gentio Illyriæ Rege*, qui primus eas virtutes indagavit; *Teſte Plinio.*

Vires. Hæc planta eſt aperiens, attenuans, & Alexipharmaca, Radix primæ eſt omnium radicum amariſſima; hinc medicamentum decantatiſſimum contra Quartanam febrem, hæc enim cortice Peruviano nondum inventa habebatur pro ultimo remedio in Quartana & Hydrope, ſuccus in hac planta eſt amarior quam in Abſyntio, & ulla alia amara herba, hinc bilis defectui ſupplet; quia hæc planta eſt adeo amara ideo in bolis & opiatis potius adhibetur quam in infuſis aut decoctis, in obſtructionibus pertinaciſſimis conducit, uti lienis & hepatis, morſibus venenatorum animalium ſuccurrit, ſudorem & urinam provocat, in menſtruis obſtructis eſt optima planta, lumbricos necat, quibus amarore ſuo adverſa ſunt, & ratione, virtutis

virtutis alcalinæ, contrariantur acidis putridisque, in quibus vermes nidulantur; gangrænæ resistit, est planta primaria contra Podagram, Radix ad unciam semis in vino decocta vase clauso conducit ad omnes febres intermittentes; Chirurgi radicem lentè siccatam & in scobem rasam ulceribus sordidis aspergunt & depurant, vel sub specie turundæ fistulis intrudunt ad fistulas dilatandas, quod fit, quia laxior radicis substantia à susceptis ex fistula humoribus intumescens eam sensim dilatat, & quia sal acre ulceris fistulosi callum exedit vel absumit; infusum hujus plantæ in Chlorosi, Virginibus pallidis & stomacho confortando conducit, in Hydrophobia specificè laudatur, in Theriacam recipitur, ob nimiam suam vim exsiccantem & diaphoreticam obesis & pinguioribus quam emaciatis convenientior est, in passionibus hystericis est planta optima.

Menyanthes.

Character. Folia crassa, fabacea, terna semper in uno caule ad extremum, magna, polita; caulis minimus, politus, viridis; flores monopetali, fimbriati, eleganter in spicam congesti, his floribus succedit capsula plerumque oblonga, quæ per maturitatem dehiscens fundit semina ovalia, flavescentia, saporis amari; radix fibrosa, longa, alba, Hæc planta crescit in locis aquosis & humidis.

Nomen. Vocatur *Faba hircina* à foliorum similitudine belgicè dicitur *Waterbladen* & *Buxboom.*

Vires ejus divinæ sunt in scorbuto Vide *Eugalenum de scorbuto*, est planta acerrimè amara, secun-

ſucculenta, aperiens, & ſimul diluens, Boreales hanc plantam ſummopere amant & in ſcorbuto, qui à lento muco obſidente nervorum & muſculorum membranas & juncturas oritur, hoc modo utuntur ℞. foliorum Menyanthes M. duas, contere in pulpam cum ſero lactis, decoque, hoc decoctum mane jejuno ſtomacho aſſumatur: Ruſticis ſcorbuticis eſt planta commendatiſſima, ſi in cereviſia infuſa cum hac fermentet, ſic etiam contra Tertianam & Quartanam febrim valet, nam ſuccus ejus eſt ita amarus, ut ipſam bilem ſuperet, illa amarities hæret in ſucco ejus viſcido, *trifolium aquaticum* vocatur in Officinis, in doloribus Rheumaticis eſt optima planta, præſertim in hoc Rheumatiſmo, qui hæret circa juncturas & nervorum membranas, hæc herba inſtar potus Thée adhibita optime convenit, hinc bilem optimè refert, ubi iners viſcoſum & acidum peccat, folia cum ſale & vino contuſa & formâ cataplaſmatis adhibita conducunt ad tumores frigidos ſcorbuticos lentoſque diſſipandos, folia ejus decocta conveniunt in Cachexia, Hydrope & Podagra, ſemina proſunt in tuſſi inveteratà & pulmonum morbis; hæc planta urinam promovet, dolores Nephriticos curat.

Glaux.

Character. Caulis humilis, tenuis, repens, folia Serpilli æmula, minuta, & ſucculenta, flores exigui campaniformes coſtæ adnaſcentes ad formam alæ; his floribus ſuccedit capſula membranoſa, ſemina minima, rubicunda includens, Radix fibroſa, hæc planta creſcit circa loca maritima.

Nomen. Glaux vocatur à *γάλα lac*, quia lac in lactantibus auget; vel à *colore glauco.*

Vires aperientes & saponaceas habet, ut Becabunga; vel accedentes ad Portulacam, sed acriores. Hæc in acetariis habetur cum aceto, & editur cum salubritate.

Cortusa.

Character. Folia ex radice erumpentia, obrotunda, ampla, profunde incisa, aspera, caulibus longis adhærentia, Radix fibrosa, tota planta est valde odorata, crescit in locis arenosis & argillaceis.

Nomen. Cortusa dicitur *ab egregio Botanico Cortuso, qui* hanc plantam primus in usum adhibuit.

Hottonia.

Nomen. Hottonia vocatur ab *Hottone Professore Botanico*; nulla est virtus nota.

Mitella,

Character. Flos ut Cortusa, rosaceus, hermaphroditus, qui includit ovarium vel vas seminale continens semina plura, & per maturitatem dehiscens, flos est pentapetalos, sed quandoque hexapetalos; hinc hoc laxo sensu intelligatur, hæ plantæ cum Mitella incipiunt & ad Portulacam inclusivè desinunt. Tertia deviat, nam habet vasculum bilocularem.

Nomen. Mitella dicitur à *Mithra Episcopalis*, quia ejus vasculum seminale hanc formam repræsentat, quasi *parva mithra.*

Leonto-

Leontopetalon.

Character. Folia ampla, fere cbrotunda Soldanellam referentia, hæc integra, illa lanciniata, venosa, longis caulibus adhærentia, caulis ligneus, coloris purpurei, in multos ramos divisus, habens folia minora & minus incisa, floribus succedit capsula, habens in se semina magna, nigra, Radix crassa, rotunda, inæqualis, gibbosa, externè coloris cineritei, internè viridis subflavi, saporis amari. Hæc planta crescit in locis calidis, in Italia. Hæc planta in media hyeme floret & folia fert, *Dioscorides* hujus plantæ nomen meminit & optimè describit. Ita ut juxta hanc descriptionem certi esse possumus eandem esse plantam; hinc haberi potest pro Planta veteribus cognita.

Nomen. Leontopetalon vocatur à λέων, *leo* & πέταλον *folium*, quasi *leoninum folium*, quia folia hujus plantæ pedem Leonis referre Veteres dicebant; Hæc planta crescit in Asiâ & Græciâ magnâ in copiâ.

Vires. Dioscorides dicit, quod Radix contusa & cum vino epota egregium sit medicamentum contra morsus serpentum & dolores inde natos.

Alsine.

Character. Caulis minimus, rotundus, ramosus, nodosus, repens, folia parva, oblonga, se invicem opposita, bina, cauli adhærentia, calix magnus, oblongus in quatuor vel quinque segmenta divisus, flos rosaceus,

polupetalos, & pro ut calix vel eſt quadrifidus vel Quinquifidus; his floribus ſuccedit fructus parvus, membranaceus, includens ſemina exigua, obrotunda fere, rubicunda aut fuſca, Radix parva, fibroſa, eſt planta ſylveſtris, & nulla eſt ſylva, ubi non creſcit.

Nomen. *Alſine* dicitur ab ἄλσος *nemus*, quia ſemper in Nemoribus copioſè creſcit, latinè vocatur *Nemoroſa* & *morſus Gallinæ*, quia ab avibus & præſertim Gallinis valde amatur, hacque planta hæ aves ſe curant ab omni morbo.

Vires. Prima & ſecunda in medicina recipiuntur, quæ egregias habent vires, ſuccus enim ſale abundat plurimo, quod ſal ſaponaceus eſt, ſuccus recens Antiſcorbuticus aperiensque eſt egregius contra morbos inflammatorios Renum & Pectoris, folia coctâ & formâ Cataplaſmatis applicata conducunt in inflammatione gulæ; hæc planta inſigniter nutrit, unde Atrophiâ & Phtyſi laborantibus eſt ſalutaris. Folia ſiccata & in pulverem contrita conducunt in Epilepſiâ & infantum convulſionibus, uti & fluxu nimio Hæmorrhoidum, ſi externè applicentur, dolores inde natos etiam ſedant. In Aphthis & ſputo ſanguineo ſuccus ejus prodeſt, folia recenter contuſa & mammis applicata mammarum durities à lacte coagulato ortas diſcutiunt & diſſolvunt, hujus plantæ ſuccus, aqua deſtillata, folia & flores contuſa proſunt in oculorum inflammatione. Secunda convenit, ubi acre eſt demulcendum, ſtrictum laxandum, & tollendum id, quod eſt nimis calidum.

Lychnis.

Lychnis.

Character. Caulis ramofus, rectus, durus, rotundus, lanuginofus, folia longa, Salviâ majora, acuta, mollia, lanuginofa, alba, conjugata, bina fimul. Calicem habet tubulofum magnum, latum, longum multifidum, magis bullatum ac Alfinis, fquammofum, flos Caryophyllati, floris piftillum fit fructus feu vafculum feminale oblongum, quod per maturitatem dehifcens fundit femina exigua, fere fubrotunda, angulata; radix fibrofa, fimplex. Dividuntur Lychnides 1. *in Coronarias* 2. *in Segetes* 3. *Sylveftres*, 4. *Calice bulbato*, 5. frutefcentes, 6. *Saponaceas*, 7. denique *in Vifcofas.*

Nomen. Lychnis vocatur à λύχνος *luminare*, quia hujus plantæ flos colore fuo flammulam vel radios luminis quafi fundit, unde flammula etiam dicitur. Vigefima feptima, Octava, trigefima & trigefima prima falfò dicuntur *been album* in officinis, quia nucleus reficit, radix & fuperiores caulicis partes laudantur à virtutibus, quibus nux feu glans unguentaria laudatur, fed non puto hanc vim habere, eft quidem Aromatica, fed non adeo, hinc etiam *been* dicitur. Vigefima fecta *Mufcipula* dicitur, à *mufca* & *pulla*; id eft *nigra*, quafi *planta nigra mufcis*, quia caules ejus vifcofum fuccum habent, cui hæc infecta adhærent. Quadragefima nona dicitur *flos cuculi*, quia floret, quando cuculus cantat.

Vires. Trigefima quinta habet fuccum falfum, amarum, ut fapo venetus, fi ei addatur paulo Abfynthii, aliter paulo amarior eft; hinc

 videtis,

videtis, quod ſit planta valde detergens, ergo in Ictero & Melancholia convenit, ſed nimis facilè uſurpetur. Hæ plantæ ſunt ſaponaceæ, incidunt, detergunt, reſolvunt, hinc ſunt Diureticæ, Sudoriferæ, Antihypochondriacæ, in renibus expurgandis, pulmonibus, materia ſcorbutica & ulceribus conducunt, præſertim ſi folia recentia cum ſero lactis, aqua vel cerviſia decoquantur; in ſcabie & morbis venereis eſt optima planta, menſtrua obſtructa provocat.

Jasminum.

Character. Caulis tenuis, longus, nodoſus, viridis, flexilis, medullam albam fungoſam habens; folia acuta, oblonga, bina cauli adhærentia, flos ex oblongo tubo in quinque lacinias totidem folia imitantes expanſus, coloris albi, odoris ſuavis & valde grati, huic flori ſuccedit, plerumque bacca obrotunda, viridis, mollis, ſemina habens obrotunda & compreſſa. Radix fibroſa.

Nomen. Jaminum à *voce græcâ jasme*, quod ſignificat odorem medicinalem, quia hujus plantæ flos ſuavem odorem fundens in medicina optimas habet vires; à voce hebraicâ *Jamin* quæ vox *Thus* ſignificat, quia hic flos in locis optimum relinquit odorem.

Vires. Eſt planta aperiens, reſolvens, emolliens, conducit ad Pleuritidem, tuſſim, anhelituſque difficultatem, partum facilitandum, Inteſtinorum & ſtomachi dolores, externè convenit ad ſcirrhum emolliendum, reſolvendum, & ad Catarrhos frigidos & Colicam, flores in oleo Amygdalarum dulcium infuſi & expreſſi dant optimum Jaſmini oleum.

Al-

Alſinaſtrum.

Character. Caulis ramoſus, lanuginoſus, repens *Tourneſortius* hanc plantam primo detexit circa Pariſios, ego anno præterito hanc examinans inveni calicem nunc tetraphyllum, nunc Pentaphyllum, ſic & florem, cæterum ut in Alſine, *Tourneſortius* hanc plantam deſcribit in libro *Hiſtoire des plantes*, *qui naiſſent aux environs de Paris.*

Myoſotis.

Character. Caulis exiguis, lanuginoſus, repens; folia obrotunda, craſſa, lanuginoſa, floribus ſuccedit capſula habens figuram bovis cornu, in ſe includens ſemina obrotunda, minima, radix alba, repens, fibroſa; hæc planta creſcit in montibus.

Nomen. *Myoſotis* vocatur à μῦς *mus*, & ὦτα, quaſi *Auricula muris*, quia habet folia hirſuta, & longitudinaliter inſtar Auriculæ muris creſcit.

Ros Solis.

Character. Caulis exiguis, longus, lanuginoſus, folia obrotunda, concava, fiſtuloſis & rubris ſetis inſtructa, unde guttulæ aliquot ſtillant in cavitate foliorum, hocque modo hæc folia ſemper in maximo ſolis ardore ſemper ſunt humida, Radix fibroſa.

Nomen. *Ros ſolis* vocatur à cauſâ ſupradicta.

Vires. Hæ plantæ ſunt pectorales & cordia-

les, conducunt in Cæphalalgia, Phtyſi, morbis oculorum Epilepſia, tuſſi inveteratâ, Aſthmate, & pulmonum ulceribus, folia infuſa in omnibus hiſce morbis conveniunt. In ore detenta Odontalgiam ſedant, abdomini impoſita in puerperio partum promovere dicuntur.

Caryophyllus.

Character. Caulis durus, obrotundus, politus; folia longa anguſta, ſine ullo pedunculo cauli adhærentia, graminea acuta Calix duplex, alter longus, cylindricus, facilè rure pendens, alter ſquamoſus; flos eſt qui nomen dat flori Caryophylleo, conſtat petalis pluribus in ſuperiori parte latis, inferiori anguſtis, inciſis, calici profundè immiſſis, vaſculum ſeminale eſt oblongum, cylindricum, quod per maturitatem dehiſcens fundit ſemina plurima, quæ placentæ adhærent.

Nomen. Caryophyllus vocatur à ſimilitudine odoris Caryophyllorum, quem ferunt hæ plantæ, diſtinguuntur 1. in majores plumaceos & ſinenſes 2. in barbatos majores flore ſimplici, 3. ratione coloris, & odoris vide *Horatium*; *Rapinus* de hac plantâ cantat.

Proferet inde ſuas, ardent dum brachia Cancri,
Caryophyllus opes, picto qui flore per agros,
Egregiæ dona oſtendit pulcherrima formæ.
Eſt odor eximius flori, vagina tumentem
Colligit ima comam foliorum, inciſa profundè
Sunt folia, & blande curvum criſpantur in orbem
Difficilis flos ille tamen, nec promptus alendo eſt,

Qui

Qui terræ immodicamve sitim, cœlive calores
Injustos tristesve auras, frigusve malignum
Non impune foret, prima dum pubet in herba,
Est nisi sustineat plantam curare recentem
Villicus, ac fontes sitienti aspergine crebra
Vespere seu sero, primo seu mane ministret:
Illi rite suum non conciliabit honorem.

Omnes Caryophylli habent odorem aromaticum, belgicè dicitur *Kruytnagelen*, Caryophylli barbati vocantur belgicè *Duysentschoonen*. In Medicina recipiuntur simplices, qui colorem rubrum & odorem optimum habent.

Vires. Flores hujus plantæ sunt Cephalici & Cordiales, hinc conducunt in Epilepsia, Vertigine, Paralysi, Apoplexia, aliisque nervorum & capitis affectibus, ex floribus fit conserva quæ valde est cardiaca odore suo grato & reficiente, hinc optima in languore ad roborandos & refocillandos spiritus; uti & syrupus caryophylli aliter Tunicæ dictus, flores in spiritu vini infusi conducunt in Colica.

Portulaca.

Character, Caulis rotundus, crassus rectus, succulentus, tener, politus, splendens, rubicundus, in ramos divisus, folia succulenta, oblonga, fere rotunda, crassa, satis ampla, splendentia, carnosa, polita, coloris albescentis aut flavescentis, saporis viscosi subacidi; Calix Monophyllos, flos rosaceus, fructus, pistillum & calix abeunt in vas seminale, ubi, prima capsula tegit aliam, maturaque facta cadit superior, intus continens plura semina orbiculata, nigra, parva. Radix fibrosa, simplex.

Nomen eſt ignotum ; belgicè vocatur *porcelein.*

Vires. Hæc planta nobiliſſimum alimentum & medicamentum dat, ejus partes ſunt ſucculentiſſimæ, ſuccus eſt adſtringens, egregiè aperit, expellit, refrigerat in morbis inflammatoriis, in gingivis gangræna affectis eſt optimus ſi ſucco hujus hæ laventur, folia decocta in angina forma Gargariſmatis conducunt, ejus decoctum convenit in Phrenitide Pleuritide, Peripneumonia; inteſtinis inflammatis, ſcorbuto, & viſcerum inflammationibus, bilem temperat, & corroborat, præſertim ſi cum ſero lactis decoquantur. Hæc planta præbet ſuccum ſubacidulum, nitroſum, viſcoſiſſimum ſeu lentiſſimum, hinc vis eadem ut in Sempervivo vel Nummularia, hinc conducit, ubi nimia adeſt ſpirituum volatilitas, motus, putredo, & fibræ rigidæ, ergo in omnibus morbis acutis, ſi æſtivo tempore in oleribus ſumatur, tum bilem mitigat, & morbos inde metuendos avertit; lumbricos necat, in febribus putridis malignis ardore urinæ, & nephritide prodeſt ; folia in cæphalgia capiti applicata conveniunt, aqua ejus deſtillata eſt optima in fluxu nimio menſtruorum & hæmorrhagiis; ſemen ejus eſt unum ex quatuor ſeminibus frigidis minoribus; ejus ſuccus in tabe valde prodeſt. Tota hæc planta eſt ſuccoſiſſima, nam ſi ejus folia inter digitos terantur, fere totum in ſuccum abeunt, imo ſi ex unâ libra foliorum contritâ ſuccus exprimatur, vix dragma una ſolidi remanet.

Plantæ Diangiæ Polyspermæ.

Hæ habent fructus, qui dividuntur in duo vascula distantia, quæ seorsum crescunt, vel quod est vas, quod septum medium habet, intusque multa continet semina, quæ placentæ vel stylo nascuntur per pedunculos, unde per maturitatem decidunt, semina libera habere videntur; hinc in his ovarium constat vel duplici distento vasculo quo ad speciem externam, uno, sed tamen constans duobus loculis, & tertio sunt diaphragmate distincti, hæ plantæ [quoad habitum omnes multum à se differunt, sed character cum *Morisone* à fructu petitur. 1. linea in his est uniformi flore polypetalo, cujus folia foliis æquabilia, 2. flore uniformi monipetalo, 3. sunt Diangiæ quæ sunt flore monopetalo, id est cujus flos ad certam classem deduci non potest.

Salicaria.

Character. Caulis angulosus, durus, ramosus, rubicundus; folia acuta, oblonga, Lysimachiam referentia, sed angustiora, ex caulium nodis bina vel terna erumpentia, & caulem ambientia; flores minimi, rosacei, pentapetali, in spicas congesti, post florem sequitur capsula semina minima in duas cavernas distincta habens; Radix alba, lignosa, digiti crassitie, hæc planta crescit in locis humidis & aquosis.

Nomen. Salicaria à *salice*, quia ad ripas fossularum sub salice crescunt, veteribus dicitur *Lysimachia*, vocatur etiam *Hyssopifolia*, quia ejus folia ad Hyssopum accedit.

Vires. Nulla vis in his obſervatur, licet fateri debeamus, quod hæc ſit Lyſimachia *Dioſcoridis*, inſervit tantum ob florum amænitatem ad hortorum ornamentum.

Saxifraga.

Character. Folia obrotunda, in margine inciſa, Hæderam terreſtrem fere referentia, ſed ſucculentiora & magis alba, caulibus mediocriter longis & villoſis adhærentia; Caulis minimus, tener, rotundus, villoſus, ramoſus, purpureus; flos roſaceus pentapetalus, calici quinquifido innatus, poſt florem apparet fructus obrotundus, qui in duo loculamenta per maturitatem dehiſcit fundens ſemina minima, rubicunda, longiuſcula. Radix eſt fibroſa, cui adhærent tubercula inſtar ſeminis coriandri, coloris partim purpurei vel rubicundi, partim albi, ſaporis amari, hæc tubercula vulgò vocantur ſemina Saxifragæ, hæc planta creſcit in locis incultis, ut circa montes; hic Geum & Saxifraga junxi, nam hic modo diſtinctio eſt à diſſimilitudine calicis, ſed à ſimilitudine foliorum in unam familiam redegi.

Nomen. *Saxifraga* à *ſaxis*, quaſi planta *ſaxum frangens*, ſic dicitur à *Bauhino*, quia ſuccus ejus epotus frangit calculum in renibus & veſica, an verum ſit, dubium eſt; vel quia ad ſaxoſos montes creſcens, quaſi ex fiſſuris ſaxorum erumpit, *geum*, quaſi herba terræ proximè creſcens nam folia terram attingunt; *Sanicula* à vi quia plurimos morbos ſanat *Tridactylites*, quia quaſi manum tribus digitis præditam refert.

Vires. Prima, ſeptima & Octava uſurpari poſſunt,

possunt, nam succus est nitrosus; balsamicus, saponaceus, subacidulus, unde vires optimè intelliguntur. Decima tertia est *Paronychia altera officinarum*, hæc à *Boyleo* adeo laudatur, ait enim sibi compertum esse, plantulæ hujus succum cerevisiæ tenui inditum morbum regium curare, quod est stramosum morbi genus, qui à solo Regis attactu curare dicitur, hæc, quam veteres ad scabiem, lepram similesque morbos curandos laudarunt, est planta aperiens, & diuretica, hinc conducit in calculo & menstruis obstructis, si ejus radices vino infundantur, vel in aqua communi coquantur; crescit in stramineis rusticorum tectis, prodit hyeme, est planta succulenta sed parva, cæterum virtus est ut in Portulaca.

Centaurium Minus.

Caracter. Caulis parvus, politus, angulosus; folia conjugata, sat crassa, oblonga, hæc ex radice, illa ex caule erumpentia, flos monopetalus, quinquifidus, in umbellam congestus, coloris rubicundi vel purpurei aliquando albi, post florem succedit fructus ovatus, oblongus emittens tubam longam in duas partes dehiscens; in duo loculamenta distincta, semina exigua continentia, divisus. Radix est exigua, insipida, lignosa, crescit in locis siccis & arenosis.

Nomen. Centaurium à *Centauro medicorum Principe*, quia ille vir hac plantâ, à pedis vulnere curatus fuisse dicitur, vocatur etiam *Fel terræ* ob summam ejus amaritem.

Vires. Si semen masticetur, totum os fit plenum amaritie; vis est aperiens, stimulans & ca-

& calefaciens, juvat, ubi pituita biliosa & obstructio impugnanda est, optimus usus est ex aquâ fervidâ instar Théé magnâ copiâ assumpta, purgat & sudorem elicit, vomitumque producit, herba recens contusa vulneribus imposita citissimè consolidat. Pus prohibet, deterget, depurat ulcera sordida, contusa loca resolvit. Succus ejus expressus per alvum purgat & vomitum excitat; si verò minori copiâ sumatur, tum est Diaphoreticum, hinc inter herbas febrifugas habetur & febrim tollit, si modo inflammatio non adsit, notum quoque est contra Icterum valere, in obstructionibus chronicis & febribus intermittentibus primum locum obtinet, aperit quoque suppressas Hæmorrhoides & menstrua promovet. In morbis soporosis in clysteribus est planta optima, in scorbuto, Arthritide, lumbricis & specificè in morsu canis rabidi convenit, pituitosos & biliosos humores quam lenissimè per alvum educit, de hac plantâ *in Actis Parisiensibus* legitur, quod febrem æquè curat ac Cortex Peruvianus, sapor saltem est idem, hinc omnes febres & Hydropem vino infusa curat; hinc elegans Poëta vires plantarum describens dicit.

Flos mihi suave rubet, sed inest succus amarus,
Observa ad jecora & obstructa lienis.

Hæc planta cum Cortice Peruviano vino albo infusa est optimum remedium in febribus intermittentibus; ingreditur in compositionibus Alexipharmacis.

Vero-

Veronica.

Character. Caules exigui, longi, nodosi, in terram repentes, lanuginosi, rotundi, folia conjugata, se invicem opposita, cauli adnascentia, lanuginosa, in margine incisa, saporis amari & acris; flores monopetali, multifidi, sæpe quinquifidi; vel quadrifidi, in spicas congesti, & tum spicatum dicitur, vel sparsim distribuitur, & tum sparsum vocatur, coloris cærulei, vel aliquando albi, post florem fit fructus, qui in omnibus speciebus est vasculum cornutum exprimens, accuratè compressum, per maturitatem in duo loculamenta divisus, intus plurima semina exigua, rotunda, & nigricantia continens; Radix est fibrosa, hinc inde in terra repens, hæc planta crescit in locis humidis & arenosis, optima est, quæ circa Quercus crescit.

Nomen habet à Veronice Principe fæmina inventrice, quæ est inter signa cæli, belgicè vocatur *eerenprys* id est *honor & laus*, & a meritis ita dicitur.

Vires. Hæc planta laudatur ad debellandam pituitam, & detergenda viscera primá, ad pulmonum vitia, ad scorbutum, Phtisin, calculum, si cum Glycyrrhisa decoquatur; si in aqua infundatur, odore & sapore & omni dote refert Thée chinensium ejusque effectus habet, cum modicâ adstrictione laxat, hinc in scorbuto à laxitáte commendatur; sic & in mictu sanguineo & sputo convenit, quia vires adstringentes & parum aromaticas habet; calefacit, siccat, roborat, & putredini resistit; 13. 14. 15. 16. belgicè *becheboom* vocatur, vix ullis

ullis viribus cedunt, ſucculentiſſimæ ſunt & amareſcentes, ſuccus earum expreſſus inſtar ſaponis abſtergit & detergit, liquefacit non vi aromaticâ ſed ſaponaceâ & ſummopere penetrant, ſic aquam purgat, ſanguinemque aquoſum ſine acrimoniâ reddit, hocque modo aperit, diluit & mitificat, hinc in omni obſtructione & omni genere ſcorbuti, & ubicunque eſt aperiendum ſine magno calore inducendo, ſic etiam contra calculum & ſabulos renum optimum remedium exhibet, in Ictero, obſeſſo hepate & in omnibus vetuſtiſſimis obſtructionibus conducit, eſt planta valde penetrans, nam ſi guſtetur, totum os quaſi penetrat, ſi comburatur, non multum dat ſalis, abundat humore copioſiſſimo, & habet vim humores reſolvendi, hæc planta in ſero lactis cocta & uſu quotidiano epota ſcorbutum curat, teſtantibus *Eugaleno* & *Sennerto*, tumores ſcorbuti eos reſolvit, in ſcabie etiam conducit, ſuccus ejus diu epotus convenit in Podagrâ, ſi nempe per menſem uncias duas vel tres ſingulo die æger aſſumant, tum omne morbificum ex ſanguine per urinam educitur; ſuccus ejus hieme diu ſervetur, ſi unciæ uni ſucci guttæ quatuor ſpiritus ſulphuris per campanam jungantur; incidit viſcidam pulmonis pituitam, in tuſſi, colica, nephritide, phtyſi & pruritu confert; ad Colicam in Clyſmatibus eſt planta optima, vino infuſa Chloroſi laborantibus conducit, ejus pulvis Hydropem curat juxta *Cæſalpinum*, uti & ſuccus febres intermittentes, aqua ejus deſtillata oculos depurat, folia decocta & forma gargariſmatis adhibita Anginam curant; *Francus* totum librum de hujus plantæ virtutibus conſcripſit; inſtar
Thée

Thée adhibita conducit in obstructionibus lienis, pancreatis & mesenterii, in Cæphalalgiâ & Vertigine ejus effectus optimus, fluxibus albis prodest, & in omnibus cutaneis morbis convenit, uti & in Cancro; hinc hac planta centenos morbos curavi, nam vim habet pituitosum viscosum & oleosum solvendi, & fere omnes humores hac planta dissolvuntur.

Blattaria.

Character. Caulis rectus, durus, in ramos divisus; folia longa, acuta, in margine incisa, sed lata, plerumque hirsuta, alterna, in superiori parte splendentia, odoris ingrati, saporis amari, flores monopetali, quinquifidi, rotati, & quidem tamen profundè divisi, ut ex quinque petalis videantur, hi in laxiores congeruntur spicas, coloris flavi obscuri, satis odorati, pedunculis villosis adhærentes, post florem nascitur ejus loco fructus rotundus, semina exigua & nigricantia includens; radix longa, dura, alba, aliquantulum fibrosa. Crescit hæc planta circa flumina.

Nomen. Blattaria à *Plinio* dicitur, quia blattam in se recipiens viscositate quadam sibi agglutinat, & fovet, sed puto sic dici, quia ejus folia à tineis exeduntur, vel à formâ seu habitu foliorum.

Vires. De hac plantâ nil laudatur, nisi quod sit emolliens, ut Verbascum, sed non est in usu omnes hæ plantæ Verbasco conveniunt, & vix ab illo distinguuntur.

Ver-

Verbascum.

Character. Caulis ramosus, durus, lignosus, crassus, lanuginosus, rotundus, folia magna, longa, ampla, mollia, villosa, lanuginosa, alba, hæc in terra repentia, illa caulibus alternè adhærentia, latiora & hirsutiora Blattaria; flores ut in præcedenti, sed in arctiores spicas congesti & in longo pedunculo, sed arctè ad caulem adhærentes; post florem succedit capsula ovalis, lanuginosa, acuta, divisa in duo loculamenta, semina exigua, nigra, & angulosa, continentia; radix est oblonga, sat crassa, alba, lignosa. Hæc planta crescit in locis arenosis.

Nomen. Verbascum quasi *Barbascum* dicitur, quia folia hujus plantæ sunt barbata hirsuta & villosa. Vocatur *Candela regia Lychnites*, quia folia usurpantur cotonis loco in lampade dicitur etiam *Phlomos à φλέγω uro*, quia quasi ardere videtur; belgicè vocatur *Wolkruyt.*

Vires. Prima, secunda, tertia & quarta laudantur inter herbas emollientes, si folia contusa loco dolenti applicentur, tum dolores sedant, succum habent non ingratum sed demulcentem, in omnibus morbis asperis ad decocta, clysmata & Cataplasmata recipiuntur, nam ejus succus est fatuus, viscosus, emolliens & smegmaticus; ex floribus cum oleo olivarum soluto fit oleum Verbasci, quod ad vulnera recentia consolidanda, & dolores mitigandos est optimum; uti & internè assumptum ad laxandum; flores in conservam rediguntur, quæ est optima, contra omnes Hæ-

morrha

morrhagias, Hæmoptoen à contusione, mictum cruentum, nimia menstrua, & Lochia, tenesmum, Dysenteriam, dolorem Hæmorrhoidum, ad procidentiam uteri & ani. Folia ejus decocta conducunt in Colica, Diarrhæa & Dysenteria; flores decocti loco gargarismatis adhibentur in angina & tussi violenta; folia cum lacte decocta conveniunt in tenesmis & hæmorrhoidibus, succus hujus plantæ est optimus in Podagra. Folia aquæ incocta pro clysmate usurpantur ad emolliendum præcipue in hæmorrhoidibus, sic & pro clysmate utero injici potest, hæc planta emollit, aperit & maxime laxat; hinc in omni clysmate emolliente & cataplasmate ingreditur; ergo extrinsecus flores ac folia adhibentur ad quoscunque dolores sopiendos imprimis ad tumores ani & Hæmorrhoides.

Digitalis.

Character. Caulis crassus, angulosus, rubicundus, villosus excavatus, folia oblonga, acuta, in margine incisa, villosa, in superiori parte viridia, in inferiori albescentia; flores monopetali tam singularis structuræ, ut perfectè referant digitabula parte arteriori in bina labia disciffi, coloris purpurei, juxta caulium longitudinem plerumque nascentes, pedunculis brevibus villosis caulibus adhærentes, his floribus decisis sequitur fructus oblongus, villosus, in duas cavernulas divisus, semina exigua continens; radix fibrosa, amara; hæc planta crescit in locis arenosis siccis, præsertim in montibus.

Nomen. Digitalis dicitur, quia ejus flos digitabulum refert.

Vires.

Vires. Prima, ſecunda, tertia, & quarta ſunt venenatiſſimæ, & habent talem acrimoniam, ut os, fauces, æſophagum, & ventriculum exulcerent, inſontes fructus ejus edentes incidunt in vomitum & dyſenterias vix curabiles.

Gratiola Centaurioïdes.

A *Tournefortio* huc refertur, in officinis dicitur *Gratiola* ſeu *Gratia* Dei à virtutibus.

Vires. Undecima eſt forſan omnium plantarum amariſſima, præterea eſt calidiſſima, ſi miſceatur aliis emollientibus, reſolvit mirificè, ad unciam demidiam contrita cum vino vel ſyrupo aut decocta cum aqua per ſuperiora & inferiora violentiſſime evacuat & omnes morbos veteraneos curat, aquam hydropicam una vice expellit, & omnes morbi ab obſtructione oriundi ſæpe hoc medicamento ſanantur; alii Auctores contra hanc plantam clamant, quia viderunt ægros ab hac exhibitâ eſſe mortuos, at ſi viſcera adhuc ſint integra, tuto uſurpari poteſt, ſi jam ſint gangrænoſa, ſtatim ab hoc moritur æger, alias in hydrope nobiliſſimum eſt remedium; ſi verò inflammatio adſit, tum enecat, ad atram bilem expellendam fere ut Helleborus valet. In Cachexia, febribus tertianis & quartanis, Podagra & dolore Iſchiatico conducit, in expellendis & enecandis vermibus eſt planta efficaciſſima; verum antequam hæc planta datur, prius corpus eſt præparandum, nempe oleum dandum ad emolliendum, uti & mellita; tum ſequenti die dari poteſt; ſi verò poſt aſſumptionem urere incipiat, tum aqua tepida magnâ copiâ eſt ſuperbibenda, hacque

que ratione ſurſum deorſumque vehementer purgat, hinc talis cautela eſt adhibenda.

Hyoſcyamus.

Character. Caules craſſi, lanuginoſi, ramoſi; folia longa, ampla, inciſa, mollia, manus attrectantium quaſi inficientia, albeſcentia, lanuginoſa, alternatim ſine ordine caulibus adhærentia; flores monopetali, infundibuliformes, expanſi, vaſculum ſeminale conſtat teſtâ rotundâ, cui natura operculum impoſuit, quod per maturitatem diſſilit, & cum teſta in duas cellulas eſt diviſa, continent ſemina plurima, parva, rotunda, & nigra; radix eſt aſpera, longa, craſſa, internè coloris albi, externè fuſci, tota planta habet odorem ingratum, & creſcit juxta vias & in pratis.

Nomen. *Hyoſcyamus* ex ὗς *porcus*, & κύαμος *faba*, quaſi *faba ſuilla*, hinc ita vocatur, quia ejus fructus fabam refert, & juxta *Ælianum*, quando ſues agreſtes hyoſcyamum comederunt, ſtatim convulſione adeo violentâ afficiuntur, ut morerentur, niſi in aquam ſe conjicerent, unde ubi collectis cancris epulantur, quo morbi remedio in priſtinam valetudinem reſtituuntur.

Vires. Hæc planta vim habet inſaniam excitandi, ſi paucâ copiâ aſſumatur, facit temulentiam, ſi majori ſoporoſitatem, ſi majori convulſionem, ſi adhuc majori certam mortem inducit; vim tamen habet anodynam, ſi folia cum aceto contundantur, tum tollunt externè dolores, ubi tollere permittitur, ſuffocando verò agunt; in ſopiendo dolore egregiè coquun-

quuntur folia in lacte dulci & podagricis locis applicantur summo cum solamine, præsertim si addatur oleum Hyoscyami cum oleo olivarum; semina inter Narcotica referuntur, sed cautè sunt adhibenda, nam etiam dolores tollentia somnum conciliant; in *Danielis Ludouici Pharmacia moderno sæculo applicata* invenitur descriptum Cataplasma ex ejus foliis oleo incoctis, & cum cerâ in Cataplasma redactis, quod egregias habet virtutes. Oleum ejus injectum in dolore aurium à duritie vel materia quadam haterogenea orto conducit; folia ad ignem emollita sunt optima ad lac dissipandum, in Odontalgiâ suscipitur seminis fumus per infundibulum, ad perniones manum & pedum curandos idem medicamentum est optimum; hæc planta in compositione unguenti populei adhibetur; hi tamen suffitus in dentibus & auribus non nimis adhibentur, nam stuporem & amentiam inducunt.

Nicotiana.

Character. Caulis rotundus, medullam albam habens, villosus, digiti crassitie; folia ampla, aliquantulum acuta, nervosa, sine caule, integra, succulenta, viscida, & attrectatione manus inficientia; saporis acris aut urentis; flores monopetali, infundibuliformes, quorum inferior pars tubum refert, supernè in quinque lacinias dividuntur, coloris purpurei; post florem sequitur fructus membranaceus, oblongus, in duas partes divisus, multa semina exigua & rubicunda habens; radix est fibrosa, alba, saporis acris, tota planta habet odorem penetrantem.

No-

Nomen Nicotiana dicitur à *Jacobo Nicotio Regis Galliæ Francisci II. consiliario*, qui anno 1560 legatus in Aula Lusitanica à belgo quodam plantam hanc ex americâ portatam emit, & in Galliam ad *Reginam Catherinam de Medicis* misit, ubi sata semina tulit, Indiæ incolæ hanc plantam vocant *Tabac*, quia in insula americæ *Tabaco* dicta crescit, dicitur etiam *Hyoscyamus*, quia huic plantæ convenit sed flores differunt, licet vires sint eædem; vocatur etiam *Priapeja*.

Vires. Hæc planta à multis ita amatur, ut de prima integri libri sint conscripti; folia recentia paulo contusa & loco dolenti applicata dolores sedant, & ulcera sordida & vetusta curant, scabiem & lepram perfectè sanant; succus ejus omnia insecta necat, pediculos, pulices, & illud obscenum insectum quod ad pudenda habetur germanicè *platluys* necat, si in omnibus hisce casibus corpus infusione innungatur, vel caput illiniatur, vel lintea ea tingantur: incommodum verò habet, quod si infantum capita inspergatur, vomitum excitat; folia recentia tumoribus vel bubonibus imposita optimè resolvunt, si folia aquæ infusa quis bibat, purgabit violentissimè, si tamen quis ei assueverit, nil patitur, folia sicca ad uncias duas vel succus expressus esset egregius, nisi nimium vomitum & purgationem excitaret, tamen in hydrope audit, oleum destillatum est summum venenum, nam in venis animalium infusum uti & ejus succus statim occidit; pulvis instar sternutatorii adhibetur, fumus tabaci pesti adversus esse dicitur, estque ei mira vis, si enim quis insuetus hunc fumum hauserit, corripitur miris symptomatibus nempe horro-

horrore, nauſea, alvi perturbatione, convulſionibus & altiſſimo ſopore, & ſi majori copiâ fuerit uſus morte, ſi verò quis huic aſſueſcat, nil horum ſentit; hinc 1. inter errhina habetur, 2. fumus hauritur, 3. folia manducantur; hæc herba mirificè nervos demulcet, ſitim ſedat, ut & famen; hinc milites hac in itinere carere non poſſunt, mirifice eſt, quod ſi inſueti hujus folia manducent, quod tum convulſionem procreet, omnesque ſecretiones augeat, ſed in aſſuetis convulſionem ſedat, bini ſunt caſus, in quibus omnibus cæteris herbis prævalet, 1. ſi fumus per inferiora in inteſtina ultima adigetur, ilico alvum obſtipatiſſimam nullis medicamentis auſcultare volentem ſolvit, 2. ſi herba recens in ſyrupo cocta aſſumatur plus ſurſum deorſumque movet quam ullum medicamentum; folia recentia contuſa externè ſine ſuppuratione omnes verrucas & tumores reſolvunt; folia maſticata in Apoplexia, Catarrho & Paralyſi conveniunt, quia ſalivam potenter movent, dentium dolorem quoque tollunt ob eandum cauſam; folia ad unciam unam in aqua cocta & forma Clyſmatis injecta ſunt optima in affectibus ſoporoſis, ſed tamen hoc medicamentum magnâ cum prudentiâ eſt adhibendum, ne mala ſubſequantur ſymptomata, ut aliquando accidit; de hac herba adeo incantant amatores, ut ea carere nequeant, nam maximum laborum ſolamen eſt in aſſuetis, vide de hac re *Nicandrum in Tabacologia*, & *ſatyricum illum ſcriptorem de Tabaco*, verum hi, qui nimium huic herbæ indulgent, inde per ſiccitatem tabeſcunt.

Linaria.

Linaria.

Character. Caulis exiguus, rotundus; folia oblonga, angusta, vel alternatim vel trifariam composita; flos in toto genere distinctissimus est ab aliis, monopetalus, personatus, & quidem ita ut posteriori parte longam gerat caudam, anteriori verò bilabiatus, & superior pars bifida, inferior trifida, adeoque florem natum quodammodo referat, calix flori ambiguo situ affigitur, quinquifidus, pistillum floris abit in vasculum rotundum acuminatum, quod per maturitatem in duas cavernas dehiscit, in quibus semina sunt compressa nigricantia, & rotunda; radix longa, dura, alba, repens, exigua, lignosa. Hæc planta crescit in locis incultis. *Rapinus* de hac planta canit.

Nec te coniferas foliis imitata cupressos
Tardabit longum post hac Linaria tempus
Dicta Italis bello de nomine, bella videri.

Priores species cum Esula conveniunt, at ab eo distinguuntur sequenti versiculo.

Esula lactescit, sine lacte linaria crescit.

Nomen. *Linaria* à *lino*, quia ejus folia linum referunt; prima, secunda, tertia & nona veteribus fuerunt cognitæ, hæ linum referunt belgicè *vlasbloem*, *wilde vlas*, ultima *Cymbalaria* dicitur; quia ejus folia hæc referunt vel Hederæ vel Violæ.

Vires. Omnes hæ plantæ habent virtutes

O emollien-

emollientes, sed in medicinâ raro usurpantur, sed aliter vis in floribus & omnibus partibus ut in Verbasco; conducit præsertim hæc planta in Hydrope, Ictero, Hepate obstructo, & urinæ difficultate; externè imponitur abdomini in stranguria, ano & hæmorrhoidum dolore. Hæc planta omnes fibras à magna tensione dolentes emollit, hinc in cancro convenit, unguentum Linariæ est optimum in inflammationibus Hæmorrhoidum, succus & aqua ejus destillata prosunt inflammationibus oculorum.

Antirrhinum.

Character. Folia Linariæ latiora, flores monopetali, personati, parte posticâ cauda carentes, bilabiati, labio superiori erecto, inferiori trifido vultum Leonis formante; totus flos si à suo calice auferatur, caput refert vitulinum post singulos flores pistillum floris calicis quinquifidi fit capsula, quæ per maturitatem refert perfectissimè vituli caput; semina exigua, nigra; radix alba lignosa. Hæc planta ab unâ parte nempe posteriori perfectè caput vituli refert, ab alterâ rictum Leonis.

Nomen. Antirrhinum ab ἀντὶ *contra* & ῥὶν *naris quasi nares repræsentans*; vocatur etiam *Cynocephalos* à κυνὸς *canis* & κεφαλὴ *caput*, quia ejus fructus canis caput refert.

Vires sunt emollientes, flores, folia, semina, radices pinguedine manus inficiunt, pressa oleum habent, quod cutis asperitatem tollit, unde est cosmeticum summum, est planta aperiens, sed fatendum virtutem ejus nondum satis esse exploratam; hæc planta inter

magicas

magicas refertur, & gestata in pera dicitur inde amorem quemcunque in se derivare posse, sed ego potius à parte *Principis amoris Ovidii* starem qui dixit.

Moribus & forma consiliatur amor
Male quæritur herbis ——— ———

Asarina.

Character. Folia hirsuta, flores Antirrhini, capsula & semina Linariæ. Hæc planta crescit in locis montanis, & arenosis.

Nomen. Asarina ab *Asaro*, quia folia hujus plantæ Asarum ferè refert.

Scrophularia.

Character. Caulis rectus, quadratus, coloris purpurei nigricantis, intus excavatus, in summitate in ramos, in alas se extendentes divisus; folia oblonga, acuta, ampla, in margine incisa, Urticam urentem referens, sed ampliora, obscuriora, non urentia, caulium nodis se invicem opposita; flos anomalus, monopetalus, utrimque patens fere globosus, quasi ollam rotundam repræsentans, parte anteriori bilabiatus, superiori binis folliculis constans, tecto inferiori trifido; post florem succedit fructus vel capsula semi-rotunda septo medio distincta continens semina exigua; radix crassa, inæqualis & nodosa. Tota planta habet odorem ingratum, & saporem amarum.

Nomen. Scrophularia à *scrophulis*, quia inæqualitate suâ scrophulos refert, non verò quia scrophulos circa collum sitos curat, ut vulgò credi-

creditur. Tertia est *scrophularia major officinarum*, *scrophularia* verò minor dicitur *Chelidonium minus*.

Vires hujus plantæ sunt acres aperientes cum copiosa mucagine bene leniente in omni dolore, ubi morbosum acre peccat, ad mitigandum, partim verò dissipandum, quod crassescit, laudatur ejus cataplasma ubique ubi discutiendum, resolvendum, & maturandum, licet humor sit durior; folia in umbrâ exsiccata vim corroborantem retinent; si eorum pulvis ulcusculis inspergatur aquosis, occludit & obthurat, hæmorrhoidibus dilatatis convenit; tertia laudatur ad omnes strumos curandos & resolvendos tumores hæmorrhoidales. Quarta tollit Sennæ saporem nauseosum, & quia nil magis laudatur pro purgante quam Senna, hoc pro arcano habuit Chirurgus, sed botanicus quidam foliis in aquâ positis detexit esse hanc plantam; hacque ratione expertus est, undenam Senna habuit illum effectum, hinc. 1, ejus saporem nauseosum, 2. ejus acrimoniam nervis & cerebro inimicam perfectè tollit, si addatur dragmis duabus Sennæ dragma demidia hujus plantæ. Hæc planta in cancrosis ulceribus & scabiæ conducit, uti & hæmorrhoidibus & clavis pedum si folia recens contusa iis applicentur.

Pedicularis.

Character. Folia crispata instar cristæ galli & renata; caules angulosi debiles, excavati, partim repentes, partim recti; flores monopetali, persorati, bilabiati, labio superiori galeato, in inferiori trifido, coloris purpurei, aut

aut rubicundi aut albi, post florem sequitur capsula compressa, acuta, fere ovalis, inter duo folia latens, & dissiliens in duas partes, plurimis seminibus compressis & nigricantibus & figuram renum referentibus fætas; radix digiti minimi crassitie, aspera, alba, in multas crassas fibras divisa, saporis amari; hæc planta crescit in pratis, & locis humidis.

Nomen Pedicularis à *pediculo*, quia animalia hanc plantam comedentia multos pediculos habere dicebantur, dicitur etiam *Crista Galli* ob foliorum similitudinem, *fistularia* à *fistula*, quia olim credebatur fistulis curandis inservire, de ejus virtutibus nil scio.

Euphrasia.

Character. Caules tenues, villosi, nigricantes; folia exigua, venosa, oblonga, minutim incisa, conjugata; flores monopetali, cujus structura sat mira est, superior eorum pars est quasi erecta, inferior fimbriata, coloris albi, multis punctis purpureis & flavis instructi; post florem sequitur fructus exiguus, oblongus, in duo loculamenta divisus, semina exigua & alba includens; radix exigua lignosa; hæc planta crescit in locis incultis circa vias.

Nomen. Euphrasia græcè ἐυφϱοσύνη, *quod animi lætitiam adferat & oculorum caliginem discutiat*; belgicè vocatur *oogentroost*.

Vires. Prima à multis sæculis jam in usum fuit adhibita; flores in aquâ infusa per aliquot dies omnes humores corrigunt, & visum acuunt, nam omnes humores reddunt pellucidos; sapor non differt a Veronicâ majori; hinc puto esse ejusdem virtutis, hæc planta

 om-

omnes humores blandè attenuat, urinam ducit, hinc oculo inservire credibile est, omnes auctores veteres scripserunt hanc cæcitatem curare, sed *Lobelius* solus observavit, quod si in vino infundatur, eundem effectum non edat, sed quod in aqua infundi debeat. Cataractam & Guttam serenam à densioribus humoribus incipientem feliciter curat, in hac planta acrimonia & vis roborans adsunt; hæc planta in vino decocta contra Icterum flavum est optima; folia siccata & in pulverem contrita oculorum morbis conducunt.

Melampyrum.

Character. Caulis lanuginosus, ramosus quadratus, purpureus; folia se invicem opposita per intervalla, hæc angusta, illa ampla, profundè incisa, aspera, in summitate adsunt folia brevia, satis lata, coloris purpurei; floris ex alis foliorum erumpentes in foliaceas spicas congesti; post florem requitur fructus oblongus, qui se ab inferiori parte ad superiorem in duas partes dehiscit, quæ singulæ in duo loculamenta sunt divisæ; continentia semina oblonga, nigra instar tritici, radix lignosa, fibrosa, exigua; hæç planta crescit in locis humidis & pratis.

Nomen. Melampyrum à μέλας *atrum* & πυρὸς *triticum*; re verà semper triticum æmulantur, sunt edulia, multi dicunt, quod si misceantur tritico, caput petant, quod tamen multi fieri negant.

Poly-

Polygala.

Character. Caulis tenuis, ſat durus, alter rectus, alter repens; folia exigua & graminea, altera acuta; altera oblonga & obrotunda; flores monopetali; perſonati, perforati, exigui, in ſpicas congeſti, labio ſuperiori erecto, & inferiori bifido, quod magis prominet, poſt florem ſequitur fructus compreſſus, in duo loculamenta, ſemina oblonga continentia, diviſus, floris calix quinquifidus hunc florem involvit; radix lignoſa, exigua, dura, ſaporis amari & aromatici; hæc planta creſcit in locis incultis.

Nomen. Polygala à πολὺ & γάλα *lac.* notat *copiam lactis*, quia ſi animalia in pratis hanc plantam producentibus paſcantur, magnum lactis copiam habent, *Ambarvalis* dicitur *ab ambiendis arvis*, quia Veteres hujus plantæ floribus coronare virgines ſolebant, cum arva ambirent ad terræ fertilitatem à Diis implorandam, vocatur etiam *Amarella*, quia ſapor eſt amarus.

Vires. Geſnerus dicit, quod ſi uncia una ſucci cum aquâ miſti bibatur, tum bilem per alvum repurgat, & hepar obſtructum ſolvit, cæterum à ſemine laudatur, ſapor amarus Centaurio minori convenit; hinc forte eadem virtus; Oves præ omnibus graminum ſpeciebus hanc eligunt, aliter nullas habet vires præter gramini communes.

Commelina.

Hæc planta ſic dicta eſt a *Joanne Commelino Profeſſore Botanicæ Amſtelodamenſi*, nulla eſt virtus.

Olea.

Character. Hæc arbor eſt mediocriter magna, ejus cortex eſt politus coloris cineretii, lignum ſolidum coloris ſubflavi, ſaporis amari; folia oblonga, anguſta, Salicem referentia, acuta, craſſa, dura, carnoſa, in ſuperiori parte viridia aliquantulum, in inferiori albeſcentia, non lanuginoſa, caulibus brevibus adhærentia, ſe invicem oppoſita; flos monopetalus, calicem habens, ex quo piſtillum egreditur, quod poſt florem fructus ſupponit oblongus, ovalis, viridis, carnoſus, ſucculentus, qui fructus Oliva dicitur, ſapor ejus eſt amarus, acer, acerbus & ingratus, in ſe includens putamen oſſeum oblongum, quod continet ſemen ejusdem figuræ; hæc arbor creſcit in regionibus calidis.

Nomen. Olea dicitur à *græca voce* ἐλαια, quod idem ſignificat; hæc arbor eſt inſigne pacis pallidi ſacrum, nam dicitur in conſilio Deorum, omnes deos ſibi arbores ſacraſſe, ſic *venus* Myrthum, *Apollo* Laurum, *Minerva* Olea.

Vires, Folia hujus arboris ſunt adſtringentia & vulneraria, fructus ſale & aquâ condiuntur, & tunc ſunt edules, hinc *Martialis* canit.

Hæc quæ Picenis venit ſubducta trapetis,
Incboat atque eadem finit oliva dapes.

Ex baccis perfectè maturis exprimitur oleum emolliens, anodynum, reſolvens. detergens, quod oleum in Dyſenteria, Teneſmo & Colica conducit, hoc oleum habet vim laxandi & demulcendi omnia acria; oleum cum aqua tepida.

têpida assumptum vomitum movet, oleum cum aqua mistum facit balsamum samaritanum, ejus amurca est optimum medicamentum in Rheumatismo & doloribus ichiaticis, præsertim si huic cataplasmati addatur spiritus vini, quò oleum est vetustius eò melius est pro unguentis & emplastris, quia est magis resolvens, *scroderus* dicit in Patriâ suâ usitatissimum esse vulneratis exhibere oleum olivarum cum cerevisiâ calidâ, quò adeo large utuntur, ut quandoque sudor oleum redoleat. Ex baccis crudis oleum exprimitur vulgò Omphacium dictum, quod conducit in Hæmorrhagiis.

Acanthus.

Character. Folia ex radice erumpunt ampla, mollia, villosa, profundè incisa, repentia, succum glutinosum habentia, flos anomalus versus anteriora bifidus, versus posteriora succedit vasculum seminale instar gladii obvolutum plerumque ipso calice; semina oblonga; radix extus nigra, intus alba.

Nomen. Acanthus ab ἀκανθὸς *spina*, quasi *mollis spina*, vocatur *Branca Ursina*, quia folia ursi pedes referunt; *Rapinus* de hac planta canit.

Nodisque spinisque frequentibus asper Acanthus.

Vires sunt emollientes & aperientes; prima *Acanthus mollis* dicitur in officinis, est planta mollissima, subsaponacea ut Althæa, estque fatuo sapore, succus ejus est glutinosus & demulcens, in omnibus clysmatibus emollien-

tibus & cataplasmatibus ingreditur; folia primæ æquabiliter sunt incisa, hinc veterum pocula videmus inde circumflecti, & in omni architectonicâ adhibetur; in urina provocanda & nimia diarrhæa est planta optima; combustione & luxationibus formâ cataplasmatis valde prodest; radix in sputo cruento à contusione orto convenit.

Athatoda.

Character. Folia congugata; flores monopetali, anomali, superiori labio adunco, bifido, inferiori pendulo, bifariam diviso.

Nomen sic dicitur, quia valet forti vi uterum expurgare.

Vires. Prima à Zeylanensium medicis laudatur ad curandam luem veneream, lepram, aliosque tales morbos, quia est valde acris, hinc epota sudores expellit, & sic hos morbos curat, ergo est planta ecbolica, quia adhibetur à scortis ad menstrua obstructa, secundinas & fætum pellendum, hæc quoque est significatio vocis in lingua Zeylanensium.

Dodartia.

Hanc plantam *Tournefortius* invenit, & in honorem *Dodartii Medici Regis Galliæ Ludovici XIV.* hoc nomine donavit, nullam verò de eâ tradit virtutem.

Chelone.

Significat testudo, unde nomen venit, cæterum nulla est virtus.

Orobanche.

Character. Caulis rectus, cylindricus aut rotundus, fistulosus, fragilis, pallidus, villosus; folia non habet, nisi in principio quædam exigua, angusta, spongiosa, cito cadentia; flores juxta partem summam caulium nascuntur, à se invicem distantes, villosi, coloris purpurei, pallidi aut flavi aut viridis, odorantes, post florem apparet fructus oblongus, per maturitatem dehiscens in duas valvas, fætus seminibus minutissimis, & albescentibus; radix bulbosa, obrotunda, squammosa, pollicis crassitie, extus nigra, intus albescens aut flavescens, tenera, succum viscosum amarum habensl, per siccitatem fit adeo dura ac os; crescit plerumque in dunis, sed delata in hortis perit exceptâ secundâ

Nomen. Orobanche ab ὄροβον ἄγχει *id est ervum angit & premit* quia in locis calidis (ubi Orobum crescit & pro victu ille inservit) si juxta Orobum nascatur, illum amplectitur & suffocat; vocatur *Cynomorion* à κυνὸς *canis* & μόριον *pars genitalis*, quia ejus radix testes canis refert; *Leontobotanus* à λέων *Leo* & βοτάνη *herba*, ex βόω *pasco*, quasi *herba leonis*, quia hæc planta omnes fructus horæos necat, ut Leo alia animalia; unde *herba Leonina* vel *Legumen Leoninum* vocatur; dicitur *herba tauri vel vaccæ*, quia olim credebatur hæc planta his animalibus venerem augere; vocatur *Limodoron* à λιμὸς *fames* & δορέω *excito*, unde *planta* dicitur *Parasitica haimadoron sanguinem dans*; cæterum de ejus virtute non multum prædicatur.

Plantæ Triangiæ Polyspermæ.

Hypericum.

Character. Caulis durus, rotundus, lignosus, non flexilis, ramosus, rubicundus; folia oblonga, nervosa, Centaurium minus referentia, gemina, ex gemmulis caulium semper nascentia; flores rosacei, pentapetali, in summitate caulium crescentes, coloris flavi post florem sequitur capsula in tres conos assurgens, instar grani hordei crassa, oblonga, succum rubicundum habens, in tria loculamenta divisa, fæta seminibus exiguis, oblongis, ex fusco nigricantibus. saporis subamari & resinosi, odoris picei; radix dura, lignosa, in multos ramos divisa coloris subflavi; hæc planta crescit in sylvis & locis incultis.

Nomen ὑπερεικῶν, *quasi herba, cujus imago eminet*, vel quia solem respiciunt, ut in primâ jam patet; prima dicitur *perforata in officinis gallicè mille-pertuis.* Quia folia si luci opposita inspiciantur, videntur esse pertusa, sed microscopio inspecta patent, quod sint vesiculæ oleo balsamico impletæ; vocatur etiam *herba Dæmonum*, quia olim veteribus dicebatur hos pellere.

Vires. Folia aquæ infusa pectoris morbis prosunt; primæ vires sunt balsamicæ, ipsaque folia vires adstringentes, roborantes, & egregiè aromaticas habent; hinc ad vulnera sananda optimè conducunt, commendatur hæc planta à veteribus ad expellendum calculum & renum saburram & menstrua obstructa, vermes necat, in colica nephritica conducit, speci-

cificè

cificè laudatur in mania, melancholia, morbo Hypochondriaco, delirio atque vermibus, unde ſi hæc herba inſpergatur caſeo, omnes vermes moriuntur ; in Podagra, Rheumatiſmo, motis convulſivis, contuſionibus, nervorum tremore, & tendinum vulneribus eſt optima planta ; ſtipites ſunt exſiccantes fauces & guttur, ſæpe uſus ſum in morbis pulmonum, ſed ſi caules adhibuerim, ægri rauci fiebant, at ſi flores ſolos propinarem, res ex voto ceſſit, eſt planta vulneraria & antihiſterica, convenit cum caſtoreo, ex floribus fit oleum optimum in vulnere, morbo ſicco contracto nempe ſpaſmo, ſputo ſanguineo, dyſenteriâ, morbo Iſchiatico, Rheumatiſmo & ſimilibus morbis ; ejus extractum ex floribus non apertis factum conducit in delirio & mania ſine febre; hæc planta in multis compoſitionibus pharmaceuticis ingreditur.

Androſæmum.

Character hujus plantæ eſt idem ac de Hyperico dixi, niſi quod planta ſit valde ramoſa referens arbuſculam.

Nomen. Androſæmum à *græcâ voce* ἄνδρος, quod eſt genitivum ἀνηρ & ἅιμα *ſanguis* quaſi *ſanguinem humanum* quia ejus ſuccus expreſſus refert ſanguinem & quaſi virilem ſanguinem addit, cæterum vires ſunt eædem ut in Hyperico dixi.

Aſcyrum.

Character. Hæc planta Hypericum perfectiſſimè refert, ſed vaſculum ſeminale quinqueloculare habet.

O 7 *Nomen.*

Nomen. Afcyrum ex à *privativo* & σκύρου *fcabrities* id eft *planta glabra* , quia vi emollendi valet.

Parnaffia.

Character. Folia hederacea , circa radicem in orbem congefta, acuta, caulibus longis adhærentia; caules minimi, angulofi, flos quinquepetalus rofaceus , duplici petalorum fine inftructus , fuperior majoribus , inferior minoribus fimbriatis; calix & piftillum abeunt in fructus ovales, membranaceos, femina oblonga continentes *obfervante Tournefortio* in unicapfularem , *Hermanno* in quinque, fed dehifcit in tria fragmenta, unde hic ad triangias refertur; radix mediocriter craffa, fibrofa, coloris albi fubrubicundi , faporis adftringentis, hæc planta crefcit in noftris dunis.

Nomen. Parnaffia à *monte parnaffo* ubi hæc planta primum dicitur effe inventa.

Vires funt vulnerariæ adftringentes, dicitur ineffe huic plantæ vis fiftendi fanguinem.

Viola.

Character. Folia ex radice erumpentia obrotunda, ampla in margine incifa , viridia, caulibus longis adhærentia; flos pentapetalus, labiatus, quinque petalis conftans, bina fuperiora eriguntur, bina efficiunt quinque , coloris purpurei aut cærulei , odoris fuavis & grati poft florem apparet capfula per maturitatem in tres partes divifa continens femina exigua, obrotunda, albefcentia ;radix fibrofa.

Nomen à græcâ voce ἴον quod idem fignificat;

ficat; vocatur *Viola Martia* quia menſe Martio floret, dicitur hæc planta olim pabulo inſerviiſſe vaccæ Jovis *Rapinus in hortorum libris* de hac plantâ canit.

Nec Viola ipſa ſuos longum celabit odores,
Frondibus in mediis humili de ceſpite, ſurgit
Ipſa humilis, ſimplexque & ſimplice perlita fuco.
Et ſi ſint veri Vates, nec vana locuti:
Nympha fuit, qui jam flos eſt, comes una Dianæ,
Sed comites inter longe pulcherrima Janthis.
Hanc olim vaccas quando paviſſe Phæræas.
Dicitur, errantem vidit cum Phœbus, amavit:
Nec vulnus celavit amans, perterrita virgo
Proripuit ſeſe in ſylvas, monuitque Dianam.
Illa ſoror colles, inquit, fuge: namque ſupremos
Phœbus amat colles, & cælo gaudet aperto.
Ibat per valles Virgo, fonteſque petebat
Umbriferos, ſepes inter deſerta latebat:
Iſte pudoris amor, blandique modeſtia vultus
Addidit & formæ pretium, meruitque videri,
Dum latuit. Jam furta Deus; fraudeſque parabat.
Cum Dea: formoſæ ſi non licet eſſe pudicam:
Ah! pereat potius quæ non fert forma pudorem.
Dixit, & obſcura infecit ferrugine vultum.
Jam deformis erat, fuerat quæ pulchra, Dianæ
Nec ſic diſplicuit: florem nam diva puellam
Eſſe dedit, tanto pro virginitatis amore,
Cui ſuus eſt honos, & primum ſervat odorem.

Vires.

Vires. Sex priores officinales pectorales & cordiales conveniunt in tussi, ariditate linguæ, & asperitate faucium, uti & in Catarrhis, Phtysi; Pleuritide; hinc flores vim habent anodynam demulcentem & antiphlogisticam; flores infundantur in aquâ pluviâ purissimâ, hocque sæpius reiterando fit inimitabilis syrupus violarum dictus sine coctione, si quadruplum sacchari addatur, ille linguam optimè afficit, molliter aperit; omne acre mitificat & laxat, ferè eadem hic est virtus ac in Acantho, si folia præscribantur. Deinde etiam expectorationem promovet, in bile atra mitiganda, fervore febrium compescendo & dolore capitis inde nato conducit; flores sunt ex quatuor floribus cordialibus tam ob gratum odorem seu blandum volatile aroma, quam ob tenuem viscositatem terrea rigida solventem & lenientem; colligendi sunt matutino tempore, dum rore adhuc madent; folia sunt emollientia & laxantia, & adhibentur in fomentis, Cataplasmatibus, & Clysteribus; semina raro sunt in usu, nisi in obstructione renum & colica nephritica; radix hujus plantæ sursum deorsumque movet, calices in quibus vis nauseosa adest, sunt rejiciendi, nisi velis habere laxans, tum calices cum floribus sunt sumendi, semina sunt maximè hydragoga.

Acriviola.

Character. Caulis longus, rotundus, flexilis, ramosus, supra plantas vicinas scandentes; folia plerumque rotunda aliquando tamen angulosa in parte superiori polita, in inferiori

feriori rugosa, ex eorum alis erumpunt peduncula rubicunda, flores valde odorantes sustinentia, singuli flores sunt quinquapetali, cucullo donati, coloris flavi, punctis tamen rubris instructi, post florem succedit fructus in tres capsulas, semen recondentes divisus; hæc planta crescit in America.

Nomen Vocatur etiam *Nasturtium indicum*, à *Casparo Bauhino* dicitur *Cardamindum*, quasi *Cardamindum indicum*.

Vires sapor & odor sunt, ut in Nasturtio, hinc quoque eadem est virtus nempe antiscorbutica, teneri caules & fructus solent in aceto condi & hyeme comedi pro condimento antiscorbutico; hæ plantæ sale volatili oleoso & acri valde sunt ditissimæ.

Convolvulus.

Character. Caules longi, tenues, sarmentosi, scandentes, & omnia apprehendentes; folia Hederam terrestrem referentia, sed molliora & majora, viridia, acuta; flores monopetali, campaniformes ad ora expansi, coloris albi, post florem succedit fructus obrotundus, membranaceus, semina angulosa, nigricantia vel aliquando rubicunda continens; radix exigua, longa, intus alba, hæc planta est amara & acris. *Rapinus* de hac planta canit.

Et tu rumpis humum, & multo te flore profundis
Qui riguas inter, crescit Convolvule valles.

Nomen à circumvolvendo & amplectendo, quia omnes plantas amplectit.

Vires.

Vires. Prima eſt *ſoldanella officinarum.* Flores recentes ad unciam dimidiam comeſti cum oleo & aceto fortiſſimo ſurſum deorſumque purgant; hinc eſt planta laudatiſſima contra Hydropem, modo viſcera ſint bona, ſecundæ radix craſſa, lacte turgens, æſtate effoditur & ſcinditur in taleolos, hacque ratione in officinis aſſervatur, ſi ſuccus ex radice exprimatur, tum habetur ſuccus Scammonii, hic ſuccus ſanguinem in aquam cito convertit, & hinc venenatus eſt, ſi magnâ copiâ aſſumatur, ſed ſi cautè adhibeatur, tum optimè convenit, ubi purgandum, aqua ducenda & bilis; cæteræ omnes ſunt purgantes, Medici hunc ſuccum adeo metuunt, quia ſi ex Aſia adferatur, ſæpe ſuccus Eſulæ minus pretioſus admiſcetur, & tum venenum eſt, aliter ſi inſtar cadavereris oleat, & non ilico guſtando linguam rodat, tum nil mali habet & eſt optimum hydragogum; Doſis ſumma ſi cum ſaccharo conteratur eſt grana viginti, cum aqua optimè purgat, cum ſpiritu vini aliquando purgat aliquando non, hoc Scammonium officinale in aceto maceratum fit Diagrydium; folia hujus plantæ à Zelandis his aſſuetis pro acetariis adhibentur. Hæc planta eſt reſolvens, aperiens, vulneraria, & conducit in Aſthmate.

Quamoclit.

Character. Hæc planta eſt indica ſcandens ut Convolvulus ramos habens rubicundos; ejus folia ſunt oblonga, ſatis ampla minutim inciſa; Flores uno longo tubo conſtantes qui extenſus ſuam viam explicat in exactum planum quaſi tubus Hippocrateiformis; poſt florem ſequitur

quitur fructus oblongus, trigonus plerumque quatuor vel quinque loculis constans, semina quatuor oblonga, dura, nigra, continens; sapor hujus plantæ est subdulcis nitrosus, sed seminum sapor est piperinus, ex America ad nos adfertur.

Nomen. Quamoclit est vox indica.

Vires sunt purgantes ut in Convolvulo.

Campanula.

Character. Caulis villosus; folia juxta caules alternatim adhærentia, Urticam referentia, sed acutiora, lanuginosa; flores monopetali, campaniformes, oris non expansis multifidis, sed saltem convolutis paululum vel inflexis; post florem sequitur fructus membranaceus, divisus in quatuor vel quinque loculos semina exigua, splendentia & rubicunda continentia; radix est alba; hæc planta habet succum lacteum & crescit in pratis; si radix in taleolos incisa terræ mandetur, tum nova nascitur planta ex singulis taleolis.

Nomen. Campanula quasi *parva campana* sic dicitur, quia flores parvam campanam referunt, vocatur etiam *Trachelium* à τραχύτης *asperitas*, vel quia est planta valde aspera, vel quia in inflammationibus tracheæ arteriæ conducit, *Uvularia* dicitur quia morbis uvulæ prodest, uti & *Cervicalia* à *cervice* quia cervicis morbos sanat, vocatur etiam *Pantagonia*, quia flores in quinque angulos se contrahunt, imprimis vesperi.

Vires, succus harum plantarum vehementer purgat; radices octavæ & nonæ à pauperibus tamen comeduntur, quæ plantæ sunt ut Rapun-

punculus vulgaris & Campanula; radice esculenta; flore candicante.

Rapunculus.

Character. Folia ex radice erumpentia; Violam referentia, punctis nigris aliquando instructa, caulibus longis adhærentia, caulis angulosus, excavatus, succum lacteum præbens, folia oblonga angusta habens, flores in summitate in spicam sunt congesti coloris cærulei, purpurei vel albi, post florem sequitur fructus, divisus in tria loculamenta, semina exigua, splendentia, & rubicunda continentia; radix alba, rapum referens.

Nomen Rapunculus vocatur, quia radix hujus plantæ Rapum refert.

Rapuntium.

Character. Omnia sunt ut in Campanula, sed flores sunt polypetali anomali in quinque petalos quasi divisi.

Nomen. Rapuntium non vocatur, quia Rapunculum refert, nam tum Rapum referre deberet, sed quia hoc nomen à *Fabio Columna* huic plantæ fuit datum.

Vires. Hæc planta non recipitur in medicinâ, prima ovibus pro nutrimento inservit, habetque florem elegantissimum, hinc flos suo colore & fulgore omnes colores notos superat, dicitur ea de causa *flos cardinalis.*

Reseda.

Character. Caulis excavatus, ramosus, villosus;

losus; folia alternatim dispoſita, profundè inciſa, crispata; flores anomali, in ſummitate caulium creſcentes coloris flavi, poſt florem ſequitur capſula, membranacea, triangularis, oblonga, continens ſemina exigua, obrotunda, nigra; radix longa, tenuis, lignoſa, alba, acris; hæc planta creſcit in pratis.

Nomen. Reſeda à ſedandis doloribus teſte Plinio, quia inflammationem & dolorem tollere dicitur; hic habitus floris & omnia mirè apparent præ cæteris plantis; hæc planta habet molliſſimum ſuccum; hinc credibile eſt eum dolores ſedare.

Luteola.

Character. Folia ex radice erumpentia, oblonga, anguſta, mollia; caules duri, virides, ramoſi, folia minora habentes; flores exigui, coloris flavi, poſt florem ſequitur capſula obrotunda, triangularis, continens ſemina exigua, obrotunda & nigricantia; radix lignoſa, alba, acris digiti craſſitie. Tota hæc planta per ſiccitatem fit flava.

Nomen. Luteola, à *colore luteo*, quia radix cum sale cocta inſervit ad elegantiſſimum aureum ſeu luteum colorem lanæ conſiliandum. Hinc *Virgilius* dicit.

Nec varios diſcet mentiri lana colores:
Ipſe ſed in pratis aries jam ſuave rubenti
Murice, jam croceo mutabit vellera luto:
Sponte ſuâ ſcandyx paſcentes veſtiet agnos.

Vires ſunt aperientes, radix contuſa manibus febricitantium ſæpe applicatur, & in omnibus convenit cum Rubia.

Seſamoi-

Sesamoides.

Character. Caulis rotundus in longos ramos divisus; folia longa, angusta, Resedam referentia, singuli rami in spicam congesti; radix longa, & alba; hæc planta crescit in regionibus calidis.

Nomen. Sesamoides à sesamo, quia sesamum refert.

Virtus nulla est cognita.

Polemonium.

Character. Folia longa, pinnata, alterna Valerianæ sylvestris instar per totam hyemem viridia, tres nervos per totam ejus longitudinem habentia; caules rotundi, excavati, ramosi, villosi, digiti crassitie, multa folia à se invicem distantia habentes; flores monopetali, quinquifidi, coloris cærulei resplendentes, aliquando albi, odoris ingrati, pedunculis exiguis & brevibus adhærentes; post florem succedit fructus dehiscens per maturitatem in tres partes, in tria loculamenta, semina oblonga, exigua, nigra continentia, divisus; radix fibrosa, repens, albescens; tota planta habet saporem amarum & viscosum.

Nomen. Polemonium à πολὺ *multum* & μόνον *solum* quasi *multa folia unicum folium componentia*, quia multa hujus plantæ folia ita adhærent cauli, ut ferè unicum folium repræsentet; vocatur etiam *Valeriana Græca* quam refert, & *Græca* quia inde est allata; an verò *Polemonium Veterum* sit? nescio.

Vires. Est herba Antiscorbutica, tamen in Medicina non est in usu.

Plantæ

Plantæ Triangiæ Tricocciæ.

Ricinus.

Character. Caules craſſi, excavati, lignoſi, in ſuperiori parte ramoſi, coloris purpurei, pulverem album farinam referentem, habentes; folia in initio rotunda, ſed poſtea angulosa, incisa profundiſſimè, mollia, ampla; flores apetali, ſteriles, exigui; fructus à flore remotus, in eadem planta trigonus, plerumque membranula involutus, tres loculos conficiens, in quibus ſingulis ſemen inſtar politi ovicini ſeu teſtudinis, oblongum, ſat craſſum, coloris lividi ſaporis ſubdulcis acris nauſeoſi medullam albam & tenerem continens, hæret; hic fructus bene maturus ſemina cum magno impetu ejicit; radix craſſa, longa, dura, alba; fibroſa; hæc planta in hortis colitur propter magnam ejus pulchritudinem, vel ob talpas, quæ ejus præſentiam fugere dicuntur; creſcit in regionibus calidis ad magnam altitudinem intra paucum tempus.

Nomen. Ricinus dicitur, quia ſemen animal ita dictum refert, quod animal canes & boves infeſtat; belgicè vocatur *Wonderboom*, dicitur etiam *Palma Chriſti*, quia ejus folia palmam manus referre dicuntur. A nonnullis creditur hanc eſſe arborem, quæ Jonam, cum ex Balenâ ejectus eſſet, adumbravit, vide *Montanum in libro de Vaticinio Jonæ.*

Vires. Quinta dicitur faba purgatrix, ex hac fit oleum de *Kerva*, *oleum cicinum*, *oleum ficus infernalis* dictum, quod a leo in Indiis laudatur à virtute, quod lenit, licet planta cæterum

rum sit acerrima semen omnium specierum, si pelliculâ subtegente orbetur (nam vim purgantem habet) sursum deorsumque purgat, ita ut loco grani crudi vel cocci ab *Hippocrate* adhibeatur, si verò cum pelliculâ tegente assumantur, tam vehementer purgant, ut ventriculum & intestina inflammentur, hinc pro veneno haberi possint, licet verò hæc semina sint acerrima, tamen oleum est lenissimum, & membris rigidis curandis est egregium, uti in scabie, ulceribus & vermibus necandis, Quarta & Quinta hausta per superiora & inferiora violenter purgat, hinc in Apoplexia, Lethargo & aquis hydropicorum expellendis adhibetur.

Ricinoides.

Hæc planta dicitur faba purgatrix major, in India Occidentalis dicitur faba cacatrix, si unicum semen hujus plantæ sumatur, purgat sursum deorsumque per aliquot dies, si verò à pellicula liberetur & dosis dividatur, tum benignissimè purgat.

Ricinocarpos.

Nomen à καρπὸς *fructus*, & *Ricinus*, quasi *fructus Ricini.*

Chamælæa.

Character. Caules exigui, ramosi; folia Oleæ minora & nigricantiora, sempervirentia; flores monopetali, profunde incisi, lutei; post florem sequitur fructus in initio viridis sed postea

ſtea ruber, tribus granulis conjunctis & varricoſis conſtans, in quorum quolibet unum hæret ſemen oblongum; hic fructus carptus & aliquod tempus ſervatus fit pinguis ut olivæ; radix eſt lignoſa, dura; hæc planta creſcit in regionibus calidis ut in Italia & Gallia in locis incultis, folia ejus uti & cortex habent ſaporem acrem & igneum.

Nomen. *Chamælæa* à χαμαὶ *humilis* & ἐλαία olea, quaſi *humilis olea*, quia hæc planta hanc arborem refert, vocatur *Chamælæa tricoccos* quia tale ſemen fert.

Vires. Hæc planta habet vires igneas acerrimas corrodentes & eaſdem ut in Ricino dixi, ſi folia ejus ad grana decem vel duodecim aſſumantur, per ſuperiora & inferiora valide purgant, ventriculum exurant, & totum corpus movent, hinc putatur eſſe coccos crudos *Hippocratis*, quibus utebatur ad hydropicam aquam & bilem expurgandam, quod videtur verum eſſe, quia ex Græcia adfertur & quoque *Cataputia* vocatur, ſed tamen cautiſſimè eſt uſurpanda, nam vis eſt acerrima, externè in ulceribus inveteratis detergendis eſt optima planta.

Tithymalus.

Character. Caulis rotundus, rubicundus, digiti minimi craſſitie; folia dura, oblonga; poſt florem ſuccedit fructus exiguus, trigonus & in tria loculamenta, ſingula unicum ſemen oblongum continentia, diviſus; flores ſunt monopetali, tetrapetali, calice bifido, expanſo; radix dura, lignoſa, fibroſa. Hæc planta habet ſuccum album, acerrimum, & creſcit in hortis.

P *Nomen.*

Nomen. *Tithymalus* à τιθὴ *mamma*, & μαλακὸς *tener*, quasi *tenera mamma*, quia hæc planta lac fundit, vocatur *Characias* id eſt, *vallaris*, à χαρακόω, *vallo*, quaſi in valle creſcens, belgicè dicitur *Duyvelsmelk*, *Wolfsmelk*, quia lac quidem fundit, ſed ſi guſtetur omnes partes, quas attingit, inflammat, vocatur etiam *Peplos*, quod erat ornamentum, quo mulieres ſe ornare ſolebant, quod expanſum veli inſtar iis inſerviebat; *Euphorbia ab Euphorbio medico Regis Mauritaniæ*, *Cataputia* id eſt medicamentum, quod una vice deglutitur, nunc pilulam diceremus, ſeptima & octava Myrti folia habent ideo *myrſinites* dicuntur. Decima tertia pro ſucco Eſulæ in officinis habetur; *Amygdaloides* dicitur, quia ejus folia Amygdalas referunt.

Vires. Tota planta vulnerata in omni parte copioſiſſime lac candidiſſimum fundit, quod per ſolem fit fuſcum, hujus ſapor eſt acerrimus, fervidus, penetrans, diutiſſimeque remanens, ſi in nimia copia aſſumatur, fauces inflammans Anginam producit, ſi cuti impoſita aliquamdiu hæreat, facit primo ruborem, dein corrumpit totam partem, hinc vi ſuâ cauſticâ optime conducit ad verrucas, parvos cancros tumoreſque exedendos, ſi verò hæc planta exſiccata ad grana quatuor aſſumatur excitat magnam ſeri evacuationem, ſed non abſque torminibus violentiſſimis, & per renes veſicamque aquam ejicit, radices exſiccatæ & in ſero lactis coctæ in hydrope conveniunt, unde apud *Rulandum in curationibus Empyricis* mira de hac legimus; ex primâ fit *ſuccus Cataputiæ officinarum*, & ex hac fit oleum, quod ex India affertur, hic ſuccus ad paucas guttas tenaci

naci aliquâ materiâ involutus facit fortes purgationes, & quidem fortiores, quam Esula, succus hujus est ut Scammonium, sed acrior; si hæc planta aceto vel vino renano incoquatur, tum perdit omnes vires, & hac ratione medici galli hunc succum corrigere voluerunt, sed tum nil valet ad illum morbum curandum, *Hippocrates* dicit, quod Esula, Helleborus & grana Cnidi Hydropem tollunt, sed tamen his inest acrimonia alcalina & ignea, hodie radice Jalappæ cognitâ non multum est in usu.

Euphorbium.

Character. Cortex est durus spinosus; folia crassa, longa, figurâ quadrangulari, in singulis angulis multas exiguas spinas habentia; flores quinquefidi coloris viridis subflavescentis, succedit fructus pisi magnitudine, triangularis, in tres loculos divisus, qui singuli loculi continent unicum semen oblongum; hic aliquid mire observatur nempe quod ovarium tam remotum hæreat à superioribus staminibus, unde difficultas & objectio oriuntur à *Blée* anglo, qui putat fæcundationem fieri ab infimâ parte staminum; hæc arbor crescit in Libia in monte Atla & in Africa; decima quarta propriè ad Jacobæas est referenda, nam est umbellifera seu disciflora; ex hoc arbore incisa extrahitur gummosa substantia, & resinosa concreta in guttas vel lachrymas ex pallido flavescentes splendidas modo rotundas, modo oblongas, ramosas, cavernosas, saporis acerrimi urentis nauseosi, odoris nullius.

Nomen. *Euphorbium* est nomen Antiquissimum ab *Euphorbio fratre Antonii Musæ medico*

Regis Jubæ, qui *Cæsarem angustum* hac planta curavit.

Vires. Prima eſt planta venenata, & in africâ tantam vim habet, ut hi, qui hanc plantam ſcindunt, ſe cavere debeant, ne ſtent à parte, qua ventus ad eos efflat, nam tum à vapore hujus plantæ interficiuntur, hinc faciunt ſemper vento adverſo, & hoc videtur credibile eſſe, nam ſi modo una gutta digiti apici attingatur, tum excitat ilico inflammationem à digiti apice uſque ad humeros, ſic etiam ſi contundatur in mortario ab incautis, ut ejus odorem per nares attrahant, tum tantam ſternutationem producit, ut inde ferè moriantur, ſed in æſtuantibus regionibus procul dubio adhuc atrocior erit, ſi quis in Americâ ſub ea dormiat, tum dicitur gangræna perire. Convenit ſuccus ad deſquammationes oſſium carioſorum, nam ilico ſeparationem producit; fortiſſime purgat, hinc ſpecificam & potentem habet vim educendi hydropicorum aquas, tam per ſuperiora quam inferiora, prodeſt ſeroſis melancholicis, nocet bilioſis ſanguineis, tamen eſt nimis acris, & nunquam internè eſt adhibenda niſi pro equis, externè conducit in multis unguentis & emplaſtris ut & veſicatoriis, ingredit compoſitionem pilularum Nicolai Tralliani.

Tithymaloides.

Pluknetius hujus plantæ primò Iconem dedit.

Corindum.

Character. Caules non lanuginoſi, excavati repen-

repentes;folia ut Apii divisa suavi rore nitentia; flos plane anomalus, rosaceus, quatuor petalis calici insidentibus instructus, fructus triangularis, in tres loculos divisus, in quorum singulis tria hærent semina sibi mutuo imposita, partim nigra partim alba; radix satis dura, lignosa, fibrosa, digiti crassitie.

Nomen. *Corindum* à *Cor*, quia semen maculam albam cordis figuram referens habet, & *Indum*, quia ex *India* affertur, hoc stigma summum cardiacum esse dicitur, vocatur & *Halicacabum* à κάκαβ☉ *vas*, quia fructus hujus plantæ vas refert.

Vires. Non scio hanc plantam in medicinæ recipi, nisi quod nonnulli dicuntur in India inter Olera Emollientia recenseri, uti quoque ejus semen, quod pisum refert.

Plantæ Tetrangiæ Polyspermæ.

Hic post singulos flores pistillum abit in fructum; qui à desciffis quatuor capsulis distinctè exhibetur; in quorum singulis hærent seminæ placentæ affixa.

Ruta.

Character. Hæc planta crescit in formam arbusculæ, caules crassi, lignosi, ramosi, corticem albam habens; folia in segmata divisa, exigua, oblonga, carnosa, satis crassa, polita, bina; flores tetrapetali, rosacei, coloris flavi, post florem sequitur fructus in quatuor loculos per diaphragma medium divisus, continens semina parva, recurva, semilunata, coloris modo flavi, modo nigricantis, saporis ingrati, odo-

ris gravis. In capſulis ſeminalibus eſt omnis vis, ex illis enim plus olei extrahitur, quam ex integris ſeminibus & caulibus; radix fibroſa, lignoſa & flava; Tota planta habet odorem ingratum, ſaporem amarum & acrem; creſcit in hortis ubique.

Nomen. Ruta à ῥύω *ſervo*, quia eſt planta optima ad ſanitatem conſervandam.

Vires. Hæc herba eſt laudatiſſima, inter alias alexipharmacas, antidoxicas, antihiſtericas, antipilepticas, antiapoplecticas, antiſpaſmodicas, antipeſtilentiales, antiphlogiſticas, antigangrænoſas refertur, nam cum pars jam gangræna eſt mortua, ſi hæc herba cum vino & ſale contuſa applicetur, vitam iterum reddit, ſuppurationem prohibet & pars ſanatur. *Nicander* hanc plantam commendat contra omnes venenatorum animalium morſus, dicitur ingredi Antidoto *Mithridatis*, quia *Mithridates* ſemper venena ſibi dare timens imprimis à matre, hinc ut venenis ſibi aſſueſceret, aſſumpſit magnam compoſitionem venenorum & antidotorum, & ſic multoties evitavit, & hoc ſequens carmine expreſſus eſt.

Aſſumpſit ter demum Rutæ folium & breve granum
Juglandesque duas & ficus corpore parvo,
Dum metuens dederat, ne pocula mater.

Martialis his verſiculis confirmat, nempe quod veneno *Mithridates* erat aſſuetus.

Profecit potu Mithridates ſæpe veneno,
Toxica ne poſſent ſæva nocere ſibi.

Nulla

Nulla quoque in peste est melior herba, habet aliquid aromatici acidiusculi fragrantis oleosi, estque summopere calefaciens cum specie aciditatis, & odor mulieres in syncope delapsas, hystericas & epilepticas resurgere facit, & adversus pituitam hanc herbam maximè valet, & externè ad tumores frigidos & pituitosos, ad acuendum visum quoque est egregia planta, hinc Poëta quidam canit.

Nobilis est Ruta, quia lumina reddit acuta,
Salvia cum Ruta faciunt tibi pocula tuta.

Alius Poëta cantat.

Auxilio Rutæ cur Lippe videbis acute.

Sapor est acerrimus, non tamen urens, abundans sale oleo & spiritu penetrantissimo, intus ergo in movendis, stimulandis nervis, attenuandis, & expellendis humoribus incrassatis per Diaphoresin & sudores, contra omne venenum est optima planta juxta *Plinium* uti in omni passione hysterica, melancholica, hypochondriaca, & in deliquis, menses, lochia, fœtum & secundinas expellit, visum acuit si mane bibatur instar Thée, & vapor oculo excipiatur; semen commendatur imprimis ad lumbricos, gonorrhæam & extinguendum semen ob nimiam sui siccitatem, herba conducit in variolis, morbillis, epilepsia & affectibus soporosis, in colica flatulenta. Basis fuit Mithridatii, uti patuit ex formula post eum a *Pompejo* devictum reperta, videatur *Serenus Samonicus in libro in folio* ubi dicitur Ruta externe inservire ad tumores nempe aquosos humidos & frigidos, Cataplasmata

ex hac planta parant Chirurgi cum vino cocta, contusa inflammationi resistit, & non redit, in acutissimis morbis externè propinari potest.

Harmala.

Character. Caules virides nigricantes, ramosi, arbusculam referentes; folia alterna, oblonga, incisa, crassa, carnosa, viridia, saporis viscosi & amari; flores in summitate ramorum crescentes rosacei, post florem sequitur fructus subrotundus, tricapsularis, semina inaqualia, angulosa, coloris obscuri; radix longa, digiti minimi crassitie, coloris sub flavo-pallidi. Tota planta habet odorem penetrantem & ingratum.

Nomen. Harmala est vox Arabica.

Vires hujus plantæ non sunt adhuc bene cognitæ.

Stramonium.

Character. Caules in ramos divisi, digiti crassitie; folia ampla, lata, angulosa, acuta, Solanum referentia, sed majora, mollia, pinguia, graveolentia, maximam narcosin spirantia; flores monopetali, pentagoni, infundibuliformes, oblongi; pistillum fit horrida capsula seminalis, quadrangularis, diaphragmate in quatuor cameras diversas diviso, in quarum singulis est placenta, cui semina adnascuntur plurima reniformia.

Vires. Hujus plantæ folia, radices, flores, & semina comesta inducunt soporem, si magnâ assumatur copiâ, imo si tantum olfeceris hanc plantam ebrietatem facit, si in majori de-

tur

tur dosi, omnis memoria abolitur, hac utuntur meretrices javanenses, dum à primariis sunt conductæ, tum hanc plantam maritis suis dant & delirii species subsequitur, unde coram maritis lascivia utuntur & si hæc planta in majori copia detur, stupidi manent, languent & tandem moriuntur, hæc planta facit mirificè insanire & temulentiam conciliat, qui hanc plantam comederunt, oculis apertis respondent, sed nullius rei memores sunt; nec putant sibi ulla re interesse; hinc tali potu utuntur Indi principes ad suos rivales stupidos reddendos, adeoque imperio minus capaces tamen in vivis servant, ut populo tum possint ostendere, sed hæc effecta facit potus Datyræ, qui componitur ex opio straminio & hyoscyamo, in hoc potu nullus est sapor & odor, tamen morbi ex hoc provenientes sunt incurabiles, licet curam tamen bis refert *Garrias*, si statim vomitoria cum magna salis & aceti copia assumantur, quodammodo sanantur, sed tamen non redit cerebro virtus, Vide *Bernierum in Itinerario per Regnum Mogolis*, hæc planta parum sumpta facit somnolentiam, si plus furorem, convulsiones & sudores frigidos tandem mortem. Hæc planta in formam cataplasmatis contrita conducit in erysipelate, combustione, ulceribus inveteratis & omnibus inflammationibus, sed nunquam internè est adhibenda.

Plantæ Pentangiæ Pentacoccæ.

Geranium.

Character. Hæ plantæ diſtinguuntur in Europæas & Africanas, Africanarum flores pentapetali, anomali, Europæarum flores pentapetali, anomali, roſacei, perfecti, piſtillum floris & calicis abit in unum fructum, oblongum, ſubrotundum, roſtratum, fructus inferior quinquefariam inciſus reſolvitur in quinque loculos, qui roſtri partem accipiunt, ut ſemen ſit in ſingulo loculo caudatum; radix exigua coloris ſubflavi, hæc planta creſcit in locis deſertis.

Nomen. Geranium à γέρανος *grus*, vel *ciconia*, quia fructus hujus plantæ roſtrum gruis refert. Tregeſima *Batrachioides* dicitur, quod ſignificat *Ranunculus*, quia cum eo in foliatura convenit; hæc planta in genere eſt coloris rubicundi, unde à veteribus fuit dicta *Ruberta* vel *Rubertiana*, ſed poſtea impropriè *Rupertiana* & *Robertiana* belgice vocatur *oyevaers-becke* germanicè *kupreshtskraut.*

Vires. Africanæ vim emollientem habent ut in Acetoſa. Prima eſt eſculenta, ejus tubera in Africa comeduntur uti apud nos Rapæ. Hæc planta infuſa decoctaque uti & ejus ſuccus conducit ad ſanguinem reſolvendum, qui in vulneribus eſt coagulatus, habet aliquid adſtringentis, veteribus commendatur ad ulcera ſordida ſananda, iisdem & ulceribus pudendorum in uſu erat, lavacra inſtituta ex decocto hujus herbæ proſunt in febribus, ſemina decocta ad vulnera ſananda & aſperitates in cor-

pore

pore demulcendas adhibentur, summum præbent in mammis solamen, quæ cancro laborant, nam numeratur inter plantas condientes, folia in vino cocta inflammationem discutiunt, & ad Erysipelas commendantur; radicis succus auribus medetur, ad articulorum dolores liniendos fotu nonnulli hanc plantam adhibent Chirurgi, itidem in usu est ad mammarum fissuras lactisque discussionem; vigesima septima imprimis & omnes batrachioïdes habent aroma suavissimum, hinc ad aperiendum sunt optimæ; hanc chirurgus quoque ad scirrhos, apostemata curanda ut & cancros optimo cum successu adhibuit, laudatur à vi, qua resistit calculum irritando & dolorem sedando agit, sic & ab omnibus Chirurgis veteribus ad cancrosos tumores maximè laudatur, hinc sexaginta ad cancrosos mammarum mulieris quam maxime valet, idem senex peritus chirurgis mihi dixit se à nulla herba plus emolumenti habuisse in hoc casu, quam à Geranio & Philandro. Folia in formam Cataplasmatis in aqua cocta addito aceto dolores lenit; hæc planta in Diarrhæa & Dysenteria convenit, ejus succus in hæmorragris omnibus est optimus, vel ejus folia contrita cum vino idem præbent effectum.

Planta Polyangiæ Polyspermæ.

Hic verò fructus est vel trilocularis vel quinquelocularis aliquando duodecim sunt loculi, aliquando plures, ut in Malva sæpe fit.

Malva.

Character. Caules longi, ſatis craſſi, rotundi, medulloſi, tenues, ramoſi, villoſi, aliquando rubicundi, repentes; folia rotunda, mollia aliquantulum inciſa, magis minusve villoſa, ſucculenta, minus lanciniata, caulibus adhærentia, coloris ſubfuſco viridis, calix multifidus, in quinque lacinias diſſetus, ut quinquefidus videtur; è medio floris aſſurgit ſtylus pyramidis inſtar, circa quem in formam quaſi caſei ſemina complanata ſunt; Radix ſimplex, longa, exigua, alba, ſaporis dulcis & viſcoſi.

Nomen. Malva à μαλάχη, à μαλάττω *emollio ventrem*, unde *martialis* de hac planta canit.

Utere lactucis & mollibus utere malvis:
Nam faciem, durum, Phœbe, cacantis habes.

Vires. Radices, folia, caules, flores & ſemina conſtant mucilaginoſa materia, quæ valde emollit, veteres inter edulia habuerunt, hæc planta eſt adeò fatua & inſipida, ut manducata os glutine quaſi obducit; *Heſiodus* dicit, ſtulti neſciunt, quod demidium ſit plus toto, & ignorant, quantum ſit in Malva bonum, convenit 1. ubi acrimonia eſt demulcenda 2. ubi ſtrictum eſt laxandum, 3. ubi dolores obtundendi, 4. ubi nimia eſt glutinoſitas; hinc conducit ad fibras ſiccas & rigidas, tum ad lubricanda dura nimis inteſtina, ad vertiginem capitis eorum, qui morbo hypochondriaco laborant, in uſu eſt in clyſmatibus, decoctis & balneis, Chirurgi externè quoque adhibent hanc

hanc plantam, & vix ullum eſt cataplaſma, ubi non ingreditur ad maturandum; hæc planta urinæ acrimoniam mitigat, in affectibus pulmonum, & inteſtinorum conducit, uti & phtyſi, raucedine & tuſſi; floris inflammationibus facium, gingivarum & uvulæ proſuht, commendatur verò ad eryſipelas ſub forma Cataplaſmatis, folia inſtar Thée infuſa conducunt in ardore urinæ inveterato. *Horatius* multum de hac planta fabulatur.

Lavatera.

Nomen habet à *medico Helvetio Lavatero Tournefortio amico*, unde *Tournefortius* hoc nomen huic planta dedit; *Vaillantius* putabat eſſe *trimeſtrem Cluſii*, ſed tum potius ad Alceas eſſet referenda, ſi hoc verum eſſet, poteſt uſurpari pro Malva.

Althæa.

Character. Caules rotundi, villoſi aut lanuginoſi, intus excavati, folia Malvæ, at longiora, craſſiora, acutiora, magis inciſa, mollia, lanuginoſa, albeſcentia; radix eſt rotunda, ſucculenta, mucilaginoſa, in multos ramos diviſa, intus alba ſaporis mucilaginoſi, odoris nullius reliqui characteres ſunt ut in Malva. Hæc planta creſcit in locis humidis.

Nomen. Althæa eſt nomen antiquum ab ἀλθαια & dicitur virga *paſtoris vel ibiſcus* hinc *Virgilius* ſub hac nomine de ea quoque canit.

Oves pellebant mollibus his virgis.

Vocatur etiam *Bismalva* imprimis prima; quæ in officinis sic dicitur, quia bis seu geminatas & duplo molliores vires habet quam Malva.

Vires. Hæc planta est emolliens, aperiens, humectans, pectoralis, radix ejus laxat, discutit, emollit, dolores lenit, tumores maturat, acrimoniam mitigat, & corrigit, hinc est optima in morbis pectoris, vesicæ, renis, uti in ardore urinæ, tussi vehementissima, colica nephritica, stranguria, dysuria, prohibet calculosum acidum & promovet generati calculi excretionem, externè maturat, emollit & dolorem sopit, quam ob causam ingreditur Cataplasmata, Emplastra, Clysteres; radices hujus plantæ si in decoctis adhibeantur, ad finem decoctionis sunt addendæ, nam aliter liquor fit nimis glutinosus; folia & flores in iisdem morbis sunt in usu, ex hac planta syrupus & unguentum conficiuntur, hoc unguentum est optimum in doloribus rheumaticis & ischiaticis, hæc planta etiam in tabellis contra tussim adhibetur.

Malvæ Roseæ dictæ.

Character. Hæc planta habet caulem ad altitudinem arbusculæ crescentem, crassum, rectum, fortem, villosum; folia ampla, dentata, obrotunda, in superiori parte viridià, in inferiori albescentia, undique lanuginosa; flores Malvæ communis sed majores, aliquando simplices, aliquando duplices, coloris rubicundi, vel albi, vel purpurei, odoris nullius;

radix

radix longa, mucilagina alba. Hic tanta eſt copia & varietas, ut totum hortum implerent, hæ pulchram faciem habent, & flores amænitate & varietate commendabiles ſunt, ſic vidi integros hortos ex his herbis ad formam muris plantatis, quod erat amæniſſimum ſpectaculum.

Nomen. Malva roſea, vocatur quia eſt ſpecies Malvæ, cujus flores Roſas expanſas referunt.

Vires. Flores ſunt emollientes & humectantes, conducunt in Hæmorrhagiis, ſiccitate ardore faucium, & eryſipelate.

Alcea.

Character. Caulis villoſi; aſperi, medullam fungoſam habentes folia Malvæ, magis diviſa, villoſa, caulibus longis adhærentia; ſemina latiora in capitula congeſta; reliqua Malvis communia; hæc planta creſcit in pratis.

Nomen alcea forte ab ἀλκῆ auxilium.

Vires ſunt eædem ac Malvæ & nullam novi diſtinctionem.

Malacoïdes.

Hæc planta eſt mirabilis, vocatur malacoïdes à μαλακὴ *Malva* & εἶδος *facies*, quaſi *facies Malvæ habens*. Vires ſunt eædem.

Ketmia.

Character. Caulis rotundi, villoſi, aſperi; folia Alceæ; profundè inciſa, villoſa imprimis in parte inferiori, caulibus longis adhærentia, ſaporis viſcos; flores Malvæ, coloris herbacei

ſubfla-

ſubflaveſcentis, aliquod purpurei intermixti; piſtillum floris fit fructus conicus, conſtans velamento quod in capitulum abit, continentur intus ſemina exigua & nigricantia; radix fibroſa, & albiſſima. Hæc planta creſcit in regionibus calidis ut Italia, habet ſuccum viſcoſum.

Nomen. Ketmia eſt *vox ſyriaca*, quatuor priores ſunt ſyrenaicæ & ab his nomen acceperunt à *voce ſyriaca keten quod ſignificat plantam flore roſaceo*, vulgò dicitur *Althæa arboreſcens.*

Vires ſunt ut in Malva, niſi quæ Acetoſæ ſapore ſunt præditæ, ejus etiam vim habent; ex prioribus ſyriaci flores colligunt, & inde faciunt conſervam optimam ad morbos inflammatorios; flores quoque Malvæ virtutem poſſident.

Hermannia.

Character. Calix veſicarius, totum fere florem & fructum recondens, flos roſaceus, polypetalus, fructus quinquecapſularis & oblongus, ſemen latum.

Nomen. Hermannia. Hoc nomen à *Tourneſertio* huic plantæ in honorem & ſempiternam memoriam *Clariſſimi Hermanni* datum eſt, vocatur in horto Amſtelodamenſi *Ketmia Africana.* Sed Ketmia habet calicem Malvæ, at hæc planta habet calicem veſicarium & ſquammoſum, in ſpicas flexum, unde optime diſtinguitur.

Vires. Hæc planta in Africa ut Malva adhibetur, & videtur eo accedere, nam ſapor & odor idem ſunt.

Xylon.

Character. Caulis lignoſus, corticem rubicundum & lanuginoſum habens, in quoſdam ramos diviſus; folia Alceæ, lanuginoſa, caulibus longis & lanuginoſis adhærentia; flores campaniformes monopetali, multifidi, coloris flavi, cum rubedine intermixti poſt florem ſuccedit fructus nucis avellanæ magnitudine, qui quatuor vel quinque loculis conſtans & accuratè conjunctus per maturitatem dehiſcit, unde apparet lanugo, qui per calorem ſe multum extendit, includens ſemina oblonga, rotunda aliquantulum compreſſa magnitudine Ciceris alba, lanuginoſa, habentia in ſe nucleum oleaginoſum ſaporis ſubdulcis odoris nullius; hæc planta creſcit in Indiis occidentalibus.

Nomen. Xylon à ξύω *rado*, quia lanugo hujus plantæ fructus quaſi radendo ſeparatur; vocatur etiam *Goſſipum.*

Vires ſunt ut in Alcea & Althæa; ex lanugine in filo ducta in India fiunt linteamina belgice *katoen*; ſemina ſunt optima in morbis pectoris, ut in tuſſi violenta & exſpectoratione promovenda.

Abutilon.

Character. Caulis rotundus, durus, ramoſus; folia ampla, obrotunda, ſed tamen acuta, mollia, alba, aliquantulum villoſa, caulibus longis adhærentibus; flores Malvæ, coloris flavi; ſemina membranoſa, nigra, reniformia; radix in multos exiguos ramos diviſa; hæc planta creſcit in hortis.

Nomen hoc huic plantæ à *Theophrasto* jam ante duo millia annorum datum est, sed quare me latet.

Vires. *Theophrastus* dixit hanc plantam easdem virtutes habere ac Malvam, quod verum videtur, nam sapor & odor idem denotant.

Cistus.

Character. Folia obrotunda, villosa, aspera, conjugata; flores rosacei, quinquepetali, coloris rubicundi; calix triphyllus, pistillum abit in fructum, qui est capsula obrotunda, villosa, aspera, quæ per maturitatem dehiscens semina exigua & rubicunda fundit; radix lignosa, ramosa. Hæc planta crescit in regionibus calidis præsertim in locis saxosis.

Nomen. *Cystus* à *græca voce* κίϛος vel à κίττος, *hedera*, quia folia hujus plantæ hederam terrestrem referre crediderunt Veteres, vel quia vasculum seminale in cistâ hæret.

Vires. Prima & secunda est ladanifera, quia circa caulium nodulos transudat balsamus ladanum Indorum referens, & hic perfecte habetur, ut in India crescit, & quò dies fervidior quando colligitur eò melior est, balsamus dicitur ladanum officinarum, nonnullis labdanum, ille balsamus est egregius ad tumores frigidos tollendos & membra paralitica obliniendа, unde fit unguentum laudatissimum, uti & emplastrum, hic balsamus reficit, pilulæ inde confectæ conducunt in vulneribus & ulceribus, ladnum emollit, laxat, calefacit, maturat, contra tussim & asperitatem faucium conducit; Ladanum optimum est substantia partim resinosa, partim gummosa, pinguis,

guis, indurata ex gryseo & fusco nigricans, multis arenulis permixta, collecta ex Ladani Cretici, vel Cysti Ladaniferæ foliorum superficie & in spiras contorta, saporis amaricantis, odoris dum accenditur fragrantis & grati: nec in aqueis nec oleosis, sed tantum spirituosissimis solvitur, hoc ladanum est optimum in diarrhæis & dysenteriis; flores hujus plantæ sunt eidem ac flores Althææ, hoc ladanum in calidis regionibus fervente cælo collectum vili pretio venditur, sed mercatores postea tamen inde lucrantur.

Helianthemum.

Character. Caules exigui, rotundi, tenues, villosi, repentes; folia oblonga, angusta, caulibus brevibus adhærentia, juxta caules se invicem opposita, villosa, in fine obtusa, acuta, saporis glutinosi; calix triphyllus; post florem succedit fructus sat magnus, fere rotundus, qui per maturitatem in tres partes dehiscens fundit semina obrotunda: radix lignosa & alba. Hæc planta crescit in sylvis & montibus. Hæ plantæ sunt triloculares sed ob habitum, cui multum me tribuere dixi, huc retuli.

Nomen. Helianthemum ab ἥλιος *sol* & ἄνθη flos, quasi *flos solis* vel *flos aureus*, quia hujus plantæ flos est coloris aurei; vocatur etiam *Chamæcistus* à χαμαὶ *humilis* & *Cistus* quasi *humilis Cistus.*

Vires sunt vulnerariæ, agunt vi aromatica, balsamica, ad demulcendum optimè adhibetur hæc planta forma decocti, imprimis in diarrhæis, & hæmorrhagiis, & morbis faucium.

Te-

Telephium.

Character. Caules craſſi, rotundi, politi, in parte inferiori rubicundi; folia alterna, carnoſa, craſſa, in margine inciſa, ſucculenta; poſt florem ſequitur fructus triangularis ſemina fere rotunda includens; radix in plurima tubercula alba diviſa; hæc planta creſcit in locis arenoſis.

Nomen. Telepium à *Telepho medico famoſiſſimo*, qui *Achillem* vulneratum hac planta curavit.

Vires ſunt emollientes, conſolidantes, reſolventes & vulnerariæ, folia contrita tumores reſolvunt & ſuppurationem accelerant, radix contuſa in hæmorrhoidibus inflammatis conducunt, cæterum virtutes ſunt, ut in præcedentibus.

Diervilla.

Nomen à Botanico Diervillo, virtus non habet.

Pyrola.

Character. Folia ex radice erumpentia, ſatis carnoſa, polita, tota hyeme virentia, caulibus longis adhærentia; caulis anguloſus, multa folia acuta habens, flos in ſpicam congeſtus, polypetalus, vel pentapetalus, quaſi galeatus, coloris albi; piſtillum floris fit fructus anguloſus, in quinque loculos dehiſcens, qui loculi continent ſemina exigua; radix flexilis, fibroſa, repens; tota planta habet ſaporem amarum & adſtingentem.

Nomen Pyrola ſic dicta eſt à *Pyrola Botanico*, vel à *Pyro*, quia folia hujus plantæ Pyrum referunt; belgicè dicitur *Wintergroen.*

Vires, ſunt adſtringentes, vulnerariæ & refrigerantes, hæc planta in Diarrhæis, Dyſenteriis & inflammationibus pectoris convenit, internè & externè adhibetur, uti in Unguentis & Emplaſtris, ad ſanguinent ſiſtendum, & vulnera conſolidanda, vires ſunt ut in Gramine Parnaſſi vel Conſolidagine minima nempe Bellide, ejus ſuccus eſt ſucculentus, ſed tamen eſt amareſcens.

Ariſtolochia.

Character. Caules flexiles; folia alterna, fere rotunda, mollia, ſaporis amari; flores monopetali, anomali, in inferiori parte tuburoſi, ſuperiori verò quaſi linguam habens deorſum ſpectantem, poſt florem piſtillum fit fructus membranaceus, ovalis, viridis, ſed poſt maturitatem fuſcus, hic fructus eſt diviſus in ſex loculos, qui multa ſemina compreſſa, exigua, nigra & ſibi invicem incumbentia recondunt; radix tuberoſa, rotunda, ſatis craſſa, carnoſa, fibroſa, extus griſea, intus flaveſcens, odoris ingrati, ſaporis valde amari; hæc planta creſcit in pratis; vix ſcio an calicem veram habeat nec ne.

Nomen Ariſtolochia ab ἄριϛος, *optimus* & λόχια *purgamenta*, *quæ poſt partum egrediuntur*; quaſi *optima herba ad lochia pellenda.*

Vires. Veteres ei magnam vim tribuerunt, ſi enim hæ plantæ guſtentur, linguam & palatum quaſi calore ſuo exurunt, inter Aromaticas plantas calidiſſima eſt ſed ſubtilis, pro anti-

antidoto contra omnia venena animalia habetur, herba eſt utiliſſima, nam internè & externè in uſu eſt, tumores frigidos jumentorum curat, ſi radix contuſa cum farina decocta iis applicetur: ad pituitam lentam pulmonum radix vino & aquæ. infuſa eſt optima, uti contra ſcabiem & furfures ſi cum oleo cocta applicetur, palmam meruit in podagra, ita ut inter omnes plantas podagram curantes ſit exquiſita, nam ſi podagrici hujus radices in ſpiritu juniperi infuſæ cum pauxillo ſacchari cochleare unum bibant, ſæpe ſanantur, at qui non laborant podagra pituitoſa & tenera corporis forma præditi ſunt, iis nocet ob ferventem vim, nam obſervatum eſt, iis ægris qui hac planta ad tollendam Podagram uſi ſunt, non ſolum appetitum periiſſe, ſed languidos eſſe factos, abradit enim tenues fibras ventriculi, quo facto malunt ægri laborare podagra, quam tam miſeram ducere vitam, adeoque ob ſuam acredinem, quæ appetitum plane proſternit, non nimium eſt commendanda, aliter eſſet egregia in viſcidis reſolvendis, nam ſanguinem exagitat, ſudorem & urinam promovet, ſtimulat vehementer, vires ejus ſunt calidæ aromaticæ urgentes, hinc ad menſtrua, ſecundinas & lochia pellenda, conducit, ſed modo convenit, ſi ex inertia retineantur menſtrua, eſt enim herba valde ſtimulans, penetrans & oleo aromatico pleniſſima, hæc planta adhibetur quoque in clyſteribus ad morbos ſoporoſos, & hæmorrhoides in fiſtulam ani vergentes; radices ejus in pulverem contritæ conducunt in menſtruis obſtructis, chloroſi & febribus intermittentibus, uti & in principio gangrænæ.

Papaver.

Papaver.

Character. Caules ramosi; folia oblonga, ampla, crispata, alterna vel majorana vel glauca, vel minora minus dissecta, albescentia, vel ex atro viridia; calix bifolius, valde caducus; flos rosaceus, tetrapetalus, capsula seminalis rotunda in uncis vel testæ condendo vino aptæ formam exarata, operculum radiatum habet, in tot sepimenta fructus est distentus, in quibus hærent semina exilia, rotunda, rugosa, albescentia, blandi saporis fere amygdalæ; hæ plantæ in omnibus partibus lactescunt. *Rapinus* de hac planta canit.

Postquam crispatos imitata papavera cirros
Floruerint: tum terra alios induta paratus,
Diversos, in non diverso flore: colores
Ostentabit, opus monimentum insigne suarum,
Munus Eleusinæ matris, Cereale papaver,
Cui sublime caput, folium sandice rubenti
Puniceum: sed quæ species est alba crepanti
Concolor argento, gaza resplendet agresti.
Sanandos etiam ad morbos, exempta resectis.
Grana papaveribus, medicos adhibentur in usus,
Ægro, nocte sapor seu conciliandus iniqua,
Sive suus tussi modus imponendus anhelæ.

Nomen. Papaver à *pappa* id est *puls*, quia olim nutrices pulti infantum hanc plantam permiscebant ad eorum colicos dolores sedandos.

Vires. Hæc planta summam meretur laudem, si bene usurpetur, si hortensia æstuante cælo gustentur, dum in pleno sunt vigore, aro-

ma-

matissimum saporem habent, succus est maximè aperiens, & sapor amarus bilem superans non facile deletur, omnes hujus plantæ partes æstuante cælo carptæ spirant odorem fortissimum caput petentem & soporem inducentem, ob mucaginem volatilem, cui quidpiam acredinis & amaritie est conjunctum, blande discutiunt, moderatè incrassant, leniunt, demulcent & somnum inducunt, propterea conveniunt in catarrhis à lymphâ acri, tussi, raucedine, hæmoptosi, cephalalgia, nimiis hæmorrhagiis, nimio mensium fluxu, & colica flatulenta; caput hujus plantæ habet duas partes 1. Cortex, qui saporem facit, 2. Semina, quæ sunt blandissima, oleosa, sed somnum non faciunt, sapor hujus olei refert saporem olei amygdalarum dulcium, & vires habet easdem; hinc in germaniâ aliisque locis inde placentæ fiunt quam suavissimæ, hoc dictum imprimis de hortensibus sexdecim prioribus est intelligendum; plura petuntur ex Auctoribus, hinc medici mirati sunt me Phtysicis præscripsisse uncias quatuor seminis papaveris, dicunt debere ad mortem dormire, sed inanis est metus, saporem perfectè amygdali referunt, & vires habent easdem. Duodecima sola perennis est, sed licet lacte sit prægnantissima, tamen inde Opium non colligitur, à numero 12. usque ad 31. inclusivè non adeo soporiferæ sunt, & tertia linea à numero 32. usque ad 34. inclusivè nullam vim soporiferam habent; folia hortensia cum sale contusa vel cocta in formam Cataplasmatis loco dolenti vel inflammato applicata sedant dolores & mirè aperiunt, hinc conveniunt in Rheumatismo, Dolore Ischiatico, & Podagra. Ex seminibus pa-

parantur decocta & emulſiones, at nulla tum ineſt vis ſudorifera, ſed fiunt demulcentia; capitula bene matura ſeminibus exutis in lacte cocta ad unciam unam vel duas ſuaviter ſomnum inducunt, unciæ duæ capitulorum æquivalent granum unum Opii :ex Papavere Rheados fit aqua leniter anodyna, ut & ſyrupus Diacodii dictus, qui eſt optimus in tuſſi violenta, teneſmo, dyſenteria, immodico menſtruorum & hæmorrhoidum fluxu, ejus doſis eſt uncia dimida ad unciam unam. Quot ſunt radii ſupra ovarium, tot ſunt loculi, in quibus ſemen magnâ copiâ deponitur, reliquum quod circa caput colligitur, eſt Opium, quod nomen derivatur ab ὀπὸς *ſuccus*, & hoc inde factum eſt, quia olim papaveris ſuccus olim modò ſolus fere utebatur; vocatur etiam *Meconium* à μήκον *papaver*, in his duplex eſt ſuccus, unus, qui ex floribus inciſis deſtillat, ille dicitur Opium verum, alter ſuccus eſt, qui ex foliis, caulibus & capitulis contuſis exprimitur & ille ſuccus vocatur Meconium, quod nos habemus, ſed verum Opium à Meconio differt, quamtumvis differt ex materia, ex qua exſtillat, hinc Inde aliique gentes curant, ne ad extraneos populos feratur; verum Opium eſt ſuccus reſinoſus, partim gummoſus, dum recens eſt mollis, dum inveteratus, durior, collectus ex papavere & in maſſam redactus, ſaporis ſubamari, odoris gravis, narcotici, quaſi ſtupefacientis; aliud eſt Thebaicum aliud eſt Indicum, prius eſt ſubtilius & in Ægypto circa Cairo & confines tractus colligitur, poſterius eſt craſſius, fæculentius & in Inſulis Bengalibus colligitur, ibi integri agri conſeruntur ſemine papaveris hortenſis, ubi per æſtatem ad-

maturitatem vergunt discussis floribus scalpello quinque vel sex locis sauciant capita, è quibus lacteus stillat humor, qui in massam coactus ad nos transfertur; si Opium corpori imponatur, tum locum exulcerat; hinc Veteres maximè errarunt dicentes esse frigidum in quarto gradu, sed minime, at est potius calidissimum, nam ut piper urit. Opium in Cataplasmatibus receptum vim calefacientem habet, prætera qui Opium assumere assueverunt, desuescere non possunt, nam si tempore, quo assumere soliti sunt, non præsens sit, tum in animi deliquium cadunt, si verò tum vinum creticum cum paulo pipere sumant (ut milites in Asia faciunt) hoc damnum resarcitur, quod magnum est argumentum, Opium non esse frigidum sed calidum, hinc videtur Opium parvâ copiâ assumtum idem facere quam vinum magnâ copiâ, si illius nostro hortensi similis capita incidantur per transversim, tum habent venas lactillantes, quod est Opium optimum, quod in calidis regionibus Principibus pro dono offertur.

Argemone.

Character. Caulis rotundus, ramosus, spinas exiguas habens & medullam albam in se continens; folia ex radice erumpentia, oblonga, & angusta sed caulibus adhærentia sunt lancineata, mollia, in spinas abeuntia; flores in summitate ramorum crescentes coloris flavi, rosacei, quinquefidi, odoris Chelidonii Majoris; post florem succedit fructus oblongus, spinosus, includens semina subrotunda & nigra; radix exigua, satis longa, fibrosa; hæc planta crescit in hortis. *No-*

Nomen. Argemone ab *ἄργεμα quod oculorum sive nubeculam expurget.* Vocatur & *ficus infernalis*, quia capſula fere ficum refert & *infernalis* ab aſperitate. Hæc planta habet acrimoniam.

Nymphæa.

Character. Folia magna, ampla, orbiculata, craſſa, carnoſa, fungoſa, ad ſuperficiem aquæ creſcentia; Caules craſſi, fungoſi, rotundi, rubicundi, teneri, ſucculenti; flores roſacei, polypetali, coloris lutei ſine odore, calix pentaphyllus; poſt florem ſequitur fructus obrotundus, in plurimos loculos diviſus, qui loculi continent ſemina nigricantia ſplendentia & oblonga; radix longa, craſſa, in cortice nodos habens, foris ex fuſco flaveſcens, intus pallida, fungoſa, levis, carnoſa, ſuccum viſcoſum poſſidens, in fundo fluminum creſcens, ſaporis adſtringentis auſteri, odoris nullius.

Nomen. Nymphæa vocatur, quia inſtar. Nympharum in æquis hæret, ubi illas habitaſſe finxerunt Poetæ, & ſi nave prætervectus vis arripere, tum ſe à motu navis ſubducunt.

Vires ſunt nitroſæ, ſuaves, aperientes, humectantes, refrigerantes & aliquantulum narcoticæ, ejus ſuccus bibitur in inflammatione renum & viſcerum, ex floribus fit oleum, quod vires habet eaſdem ac oleum olivarum & roſarum, folia contuſa & locis inflammatis inſtar Cataplaſmatis applicata ſunt optima; flores & radices decoctæ conducunt in febribus ardentibus ad refrigerandum, præſertim ſi ſimul Idem medicamentum in hoc caſu plantis pe-

dum & inguinibus applicentur; ex caulibus, foliis & fructubus succus pressus & coctus fit syrupus quod est summum remedium contra gonorrhæam, & etiam convenit si nimius calor adsit, nam semper nomen habuit ab urinæ ardore exstinguendo, quia omnem fere urinæ ardorem exstinguit, ille syrupus est aliquantulum narcoticus, propterea in nimiis vigiliis tanquam specificus extollitur, in pollutione nocturna convenit, denique temperat & sitim sedat.

Leuconymphæa.

Nomen. Leuconymphæa vocatur a λευκὸς *albus* & *Nymphæa*, quia flores ejus sunt albi.

Vires. Hæ plantæ sunt calidæ, hinc in morbis frigidis conveniunt, & maxime in Venérem stimulare dicuntur.

Micronymphæa.

Nomen. Micronymphæa dicitur à μικρὸς *parvus* & *Nymphæa*, quasi *parva nymphæa.* Hæc planta in fossis crescit, vires ut Nymphææ.

Microleuconymphæa.

Nomen. Microleuconymphæa dicitur à μικρὸς, *parvus*, λευκὸς *albus* & *Nymphæa*, quasi *Nymphæa alba minima.*

Nymphoïdes.

Nomen. Nymphoïdes vocatur à Nymphæa, quia hæc planta Nymphæam plane refert, vires

res ejus sunt ut prius, & in hæmorragiis optime convenit.

Nigella.

Character. Caules tenues, excavati; folia mediocriter lata, viridia, minutim incisa, capillacea; flores polypetali, rosacei, in medio corona eleganti reflexa ornati; flori succedit capsula membranacea in quinque loculos distributa, semina angulosa nigra vel flava, odoris aromatici, saporis subacris, continens;

Nomen. Nigella, vocatur quasi *Nigrella* à *colore seminis*, quia semina hujus plantæ sunt fere semper nigra, dicitur etiam *melianthium* à μέλος *niger* & ἄνθος *flos*, quasi *flos niger*, licet ejus flos non sit niger; vocatur etiam *Melaspermum* à μέλας *niger* & σπέρμα *semen*, quasi *semen nigrum* belgice *juffertje in het groen.*

Vires sunt aperientes incidentes, resolventes, & calefacientes, hæc planta conducit in mucilagine pulmonum resolvenda, expectoranda, & lacte augenda, in nephritide laudatur, menstrua provocat, morbibus venenatis, febribus intermittentibus & lumbricis necandis est optima planta, ad uncias duas in vino cocta semen & lac promovet, ut & excretionem alvi, est planta antinephritica & carminativa, hinc in vino cocta colicam curat, semen in coryza & catarrhis tam internè quàm externè commendatur, si naribus admoveatur seu oleo ejus expresso nares inungantur, semina sunt acria, & ad Venerem stimulare dicuntur, externè in caphalalgiâ conveniunt, radix manducata & naribus indita sistit hæmorrhagiam.

Garidella.

Vires ſunt ut prius.

Linum.

Character. Caulis exiguus, rotundus, excavatus, in ſummitate ramoſus; folia anguſta, oblonga, fere alterna, acuta; calix oblongus & tubiformis; flos caryophylleus, coeruleus; flori ſuccedit fructus piſi magnitudine ſubrotundus & acuminatus continens in multis capſulis membranaceis multa ſemina oblonga rotunda, compreſſa, in una parte magis acuta, lubrica, lucida, in medio tumida, medullam oleoſam & mucilaginoſam habentia, ex fuſco cærulea; radix exigua.

Nomen. Linum à *græca voce* λίνον, *Linum* vel à *linire*, quia hujus plantæ ſemen molle valde lenit; belgicè vocatur *vlas.*

Vires. Hæc planta ſaporem habet Malvæ plus oleoſum, inter emollientia princeps eſt, ſemina egregium dant medicamentum, nam exprimitur oleum anodynum & contra aſperitates convenientiſſimum, demulcet, laxat & acria involvit, unde in desperatiſſimis colicis egregii uſûs eſt, artus inhabiles hoc oleo inuncti ſolvuntur & flexiles redduntur, hoc oleum recens preſſum per os ſumptum eſt optimum in pleuritide & tuſſi pro juvanda expectoratione, uti per clyſteres injectum in hæmorrhoidibus & fœcibus alvi induratis à quibus colica paſſio oritur; idem oleum in Dyſenteria cum terra ſigillata & japonica junctum eſt magnum Arcanum. Emulſio ex ſeminibus facta conducit

ducit in Pleuritide & Peripneumonia, oleum eſt optimum remedium contra calculum, ſemina in farinam redacta & forma cataplaſmatis coctâ applicantur tumoribus emolliendis & abſceſſibus maturandis, ſi ſemen crudum decoquatur cum aqua fit blandum ſuboleoſum decoctum dictum, quod potatur, ubi leniendi ſunt dolores in inflammatione inteſtini tenuioris, Diarrhæa, Dyſenteria, doloribus nephriticis & retentione urinæ; oleum cum melle coctum faciei & cutis vitia varosque tollit, folia emolliunt; & odor, quem flos fundit, non eſt venenatus, ut Auctores dixerunt, hæc planta ſtipitem fibroſum habet fortiſſimum, qui tamen diſrumpi poteſt, ex quo herba matura & exterior cortice putrefacto fibræ ducuntur, quod dicitur linum intertextum, unde fiunt linteamina; hoc adeo amatur ab iis in calidis regionibus habitantibus, ut multo pretio emitur, nam nullum eſt tam album veſtimentum, nec etiam tam leve, hinc ob albedinem radii ſolaribus reflectuntur, inde à Regibus amatur, goſſypium propter denticulatas partes in vulnere adhibere non poteſt, quia inflammat, linum verò convenit.

Multisiliquæ Plantæ, Corniculatæ.

Univalves, Polyspermæ.

Hic poſt ſingulos flores ſequuntur plurimæ capſulæ infernè cohærentes, ſupernè recedentes, ſingulæ vaginales. Multæſiliquæ dicuntur, quæ poſt unumquemque florem habent ovarium ex ſiliculis plurimis oppoſitis, vel in una ſilicula in plurimos loculos diviſa. Sili-

quæ ſunt oblonga vaſcula per maturitatem dehiſcentia, ſeminibus intus fœta.

Sedum.

Character. Folia ſucculenta; oblonga, acuta, craſſa, carnoſa, tenerrimæ ſtructuræ pulpoſa, circa radicem circinnata, ſupernis ſitu alterno complexa caulem, ſemper viridia, in latum ſe extendentia; flos roſaceus, polypetalus, coloris purpurei; caulis rectus, ſat craſſus, folia habens anguſtiora & acutiora; calix multifidus, floribus ſuccedit vel capſulæ multæ ſiliculæ dictæ, quæ maturæ multa ſemina fundunt exigua; radix exigua & fibroſa; hæc planta creſcit in muris.

Nomen. *Sedum* vocatur à *ſedendo*, quia hæc planda quaſi ſedit in muris, ubi creſcit, vel à *ſedendo*, quia dolores inflammationis ſedat; *ſempervivum* dicitur, quia hyeme & æſtate ſemper viridis eſt, *Vermicularis*, quia ejus folia vermiculos referunt, vocatur etiam *Jovis barba* gallicè *Joubarbe*, belgicè *huys-loock*, *Donder-baert*, ſed quare ſic vocarunt, neſcio.

Vires. Hæc planta ſuccum præſtantiſſimum habet ad omnes morbos calidos, & ſuccus ei ineſt abundantiſſimus, omnes exceptâ primâ conveniunt, quo ad vires ſunt aquoſæ, nitroſæ, ſubacidæ, ſubauſteræ, emollientes, laxantes, leviter adſtringentes, hinc folia pelliculâ detractâ in aqua macerata commendantur in febribus ardentibus, inflammationibus gangrænis & ſuppurationibus ventriculi & inteſtinorum, in aphthis & angina, Africani Dyſenteria laborantibus dant uncias decem hujus ſucci expreſſi recentis, hacque ratione non ſolum hunc mor-

bum, sed etiam omnes febres pestilentiales & petechiales curant, egregia quoque est planta ad ulcera pessima corrigenda; folia contusa erysipelas, clavos pedum & nodos podagricos sanant; ex hac planta fit unguentum hæmorroidibus optimum. Decima nona est tam acris & calida, quam cæteræ sunt benignores, erat hic quidam Empyricus, qui cum hac planta ad uncias duas in lacte vel cerevisiâ infusâ febrem quartanam, hydropem aliosque morbos chronicos curavit, unde ægri enormiter vomebant, tum si malum à frigido in primis viis hæreret, curavit, sed si nimius calor adesset, maximè nocens exitiale fuit. Omnes immutat humores, in hydrope lento est optima planta, in doloribus podagricis & ischiaticis summè laudatur, internè tamen dare non auderem ob summam acredinem; priores conducunt in combustione & cancro; hæc planta in Unguento Populeo conficiendo adhibetur.

Cotyledon.

Character ad Sedum omnino accedit; flos monopetalus; radix tuberosa, carnosa, alba; hæc planta crescens in locis saxosis circa muros hyeme semper folia habet.

Nomen. Cotyledon vocatur à κοτὺλη *cavitas*, quia folia hujus plantæ sunt excavata; vel vasculum, quo solebant haurire veteres vel notat femoris cavitatem.

Vires sunt eædem ac Sedi, est enim planta refrigerans, hinc promiscuè adhibetur, secunda apud Hottentottas in Africa pro sempervivo habetur.

Anacampseros.

Character. Omnia sunt ut Sedi, radix alba, longa & insipida, hæc planta crescit in locis incultis & saxosis.

Nomen. *Anacampseros* vocatur ab ἀνακαμπτω *excito* & ἐρὸς *amor* quia veteres putarunt, hanc plantam renovare & excitare amorem, ita ut amorem hac planta determinare poterant in quoscunque vellent, cæterum rationem quare ita dicitur ignoro, nisi quod à *Dioscoride* ita fuerit vocata; vocatur etiam *Telephium* à *Telepho*, qui Achillem vulneratum hac planta curavit; belgicè *smeerwortel.*

Vires medicatæ insunt ut Sedo, magis tamen unctuosæ, herba est vulneraria, in mucagine radices contritæ extendi possunt in Emplastrum, quâ de causâ belgæ *smeerwortel* vocarunt, hoc Emplastrum Podagricis est summum remedium, & in omnibus tumoribus convenit, nisi quod non sit adeo acida, sed magis mucilaginosa & emplastica herba, aliter vires Symphiti, Consolidæ majoris & Sedi habet, ex foliis & radicibus decoctis succus expressus est optimus in herniis consolidandis, sputo sanguineo compescendo & urinæ ardore, si cum lacte hauriatur. Decimæ & undecimæ radices recipiuntur in Medicina & roseum habent odorem, hinc commendantur inter Aromata; hæc planta in tumorum suppurationibus promovendis est optima.

Ficoïdes.

Character. Folia crassa, succulentissima; calix

calix pentaphyllus; flos polypetalus, rosaceus vel filamentosus, flori insidet fructus, qui est primo fungosus, carnosus, edulis, ficus instar, postea per maturitatem exsiccatus fundit semina plurima, dividuntur hæ plantæ in folio triangulari tereti & plano; hic verò incommodum est, quod hæ plantæ sæpe à contagio, quod neque oritur à siccitate, neque à calore, neque à tempestate pluviali, tamen pereunt, si verò interierint, non iterum accipi possunt, quia omnes sunt plantæ Africanæ, & nullo alio loco crescunt; fructus ejus est ut ficus, ex his plantis quædam sole ortò se expandunt, abeunte verò se claudunt, alia verò è contra noctu sese aperiunt, de die verò se contrahunt.

Nomen Ficoïdes vocatur, quia ejus fructus Ficum refert, dicitur etiam *Aïzoïdes* ab ἀείζωον *sempervivens*, quia hæc planta est semperviridis, à Botanicis vocatur *Sedum* quia est planta Sedo similis.

Vires eædem ut in Sedo nempe emollientes, fructus sunt edules & imprimis ab Hottentottis comeduntur.

Cereus.

Hæ plantæ neque à fructibus, neque à flore huc referuntur, sed ob succulentiam. Omnes hæ sunt Americanæ, ubi pro ficubus comeduntur, jacent ad vias magnâ copiâ, & quia sunt spinosi, homines nudi prætereuntes ab his læduntur. Undecima quo ad exteriorem habitum videtur esse planta non rara, sed habet florem rarissimum, qui circa vesperam se aperire incipiens post mediam noctem cadit;

hinc vocatur ἑλεοφυγὰς *Solem fugiens*. Decima fert ficus optimi ſaporis, dicitur *Cereus* quaſi *candela* ſeu illud candelæ genus, quod ſervi veſperi ante ſuos heros gerunt belgice *flamboue*.

Pæonia.

Character. Caules rubicundi, in multos ramos diviſi; folia ampla, polita, ſplendentia, in parte ſuperiori lanuginoſa, caulibus rubicundis adhærentia, fabacea; flores roſacei, pentapetali; aut polypetali, rubentes, ſaporis fatui odoris nullius; piſtillum floris abit in fructum multis ſiliquis univalvulis conſtantem, in inferiori parte conjunctis, ſuperiori à ſe mutuo ſecedentibus per maturitatem ſuperiori parte dehiſcente, repletis ſeminibus craſſioribus, oblongo rotundis, nigris, lucidis, ſub cortice craſſiuſculo membranaceo includentibus pulpam albam ſaporis ſubdulcis odoris nullius; radix oblonga, craſſa, tuberoſa, foris fuſca intus pallida, ſaporis dum recens ſubacris, ſubdulcis, cum levi quadam amaritie, odoris nullius; hæ plantæ dividuntur in mares & fæminas, fæminæ ſunt foliis diſſectis. *Rapinus* de hac planta ſequentia canit.

Pæonis at ſilva, per ſe ſublimis ab alta,
Florem pandit ovans, ſaturo perfuſa rubore:
At non ille tamen, non eſt rubor ille pudoris
Crimen habet, tetro quod flos declarat odore.
Felix nympha, deum ſi non habuiſſet amantem
Nam patrio quondam cum fors in litore, regi
Pæonis Alcinoo candentes paſceret agnos:
Cavit mortales virgo, ſuperoſque cavere
Non potuit, factus cæleſti crimine flos eſt.

Nomen.

Nomen. Pænia vocatur a *Medico Pæone dicto*, qui Plutonem ab Hercule vulneratum hac planta curasse dicitur.

Vires. Radices, flores & semina hujus plantæ si gustentur, habent vim aromaticam, subadstringentem, simul viscidam, hinc omnes morbos ab affecto cerebro nimis laxo; & affectione nervorum curat, unde ejus vires intelliguntur, radix mense martio circa novilunium vel plenilunium effossa & siccata in taleolos scinditur, tum diu servari potest; si Epileptico detur singulo mane dragma una hujus radicis, tum paroxysmum non accipiet, sed (ut in pueris expertus sum) quam primum iterum ab esu hujus desistunt, tum redit, nam vim eradicandi Epilepsiam non habet, in floribus eadem est virtus ac in Papavere ad somnum excitandum, *Nehemias Grew* observavit, quod intimus nucleus fortiter purgat, si verò cortice involutus maneat, tum nihil agit; radix laudatur in motibus convulsivis, vertigine, tremore, pavore puerorum nocturno, apoplexia, Paralysi & menstruis obstructis, & lochiis purgandis, externè suspenditur radix ad collum pro arcenda Epilepsia, uti & semina in corallas necta in eundem usum; ex floribus fiunt conserva & aqua stillatitia, syrupus ex floribus confectus ad unciam dimidiam ter vel quater de die pueris epilepticis datus est egregium medicamentum; ex seminibus à nonnullis cum aquis appropriatis emulsiones parantur; hæc, quæ dicta sunt, imprimis de prima sunt intelligenda, quæ omnes convulsiones & paralyses curat.

Ulmaria.

Character. Caules recti, angulofi, ramofi, excavati, coloris rubicundi; folia oblonga, in margine incifa, afpera, Fraxini inftar pinnata, & divifa; flores rofacei, pentapetali, in racemos congefti, odoris grati; piftillum floris fit fructus, conftans ex multis vaginulis arctè junctis feminibus fætis; radix odorata longa extus nigra, intus rubro fufca, fibris rubicundis inftructa; hæc planta crefcit in locis aquofis, nempe in foffis, & circa flumina.

Nomen Ulmaria vocatur ab *Ulmo* quia folia hujus plantæ Ulmum referunt.

Vires. Hæc planta eft antifpafmodica, antipileptica, corroborans, & adftringens; hinc ruftici adhibent ad Dyfenteriam Diarrhæam, & vomitus compefcendos, deprehendi quoque valere ad inordinatos motus cordis, motus fanguinis & fpirituum compefcendos, & ubi condenfandum roborandum & adftringendum, ibi adhibetur omnium optime; folia conducunt ægris fanguinem fpuentibus, externè radix contufa vulneribus imponitur ad fanguinem fiftendum & confolidandum; radices decoctæ in febribus malignis conveniunt.

Veratrum.

Character. Caulis rotundus, rectus, excavatus; folia ampla, plicabilia & foliaceis quafi ornata, aliquantulum villofa; flores fpicati, polypetali, rofacei, hexapetali; piftillum floris fit fructus, tribus vaginis fibi accretis conftans, in quarum fingula femina oblonga, al-

albescentia, & tritico similia hærent; radix oblonga, pollice aliquando crassior, foris fusca intus alba, numerosis albicantibus fibris stipata, saporis acris, paululum amaricantis, subadstringentis ingrati & nauseosi. Hæc planta crescit in montibus & locis asperis præsertim in regionibus calidis.

Nomen. *Veratrum* vocatur quasi *verè atrum*, quia hæc planta habet radicem nigram, vel quia humorem atrum expurgat.

Vires. Si folia, radices, caules, flores cuti humanæ vivæ applicentur, eam excoriant, exulcerant, linguam exurunt, si verum sit *Veratrum Hippocratis* tum multa de ea prædicantur, hæc planta habet succum causticum & urentem, si in nares attrahatur specie tabaci sternutatorii indommabilem sternutationem facit; hinc summum Ptarmicum est, si in ventriculo assumatur, sursum deorsumque cum magnis torminibus purgat, sic *Hippocrates* dicit, quod ima sanguinis purget, nam antequam ægris daret, primo eos ponebat in balneo, oleum & mel ipsis potandum exhibebat per aliquot dies, hacque ratione omnibus partibus laxatis dabat Veratrum, tum ægrum se movere vel equo vel navi vehi jubebat, quando verò medicamentum agere incipiebat, tum ægro quietem præscribebat; hæc quidem utcunque nostro Veratro adscribi possunt, sed *Salmasius* scribens de Veratro dicit, folia ejus esse tenuissimè concisa, hinc dubito, an sit, Helleborus albus nigro multo vehementior est, & aliquando convulsiones parit, nisi cum magnâ prudentiâ adhibeatur, hinc ejus substantia non nisi robustissimis (adhibitis cautelis supradictis) melancholicis, maniacis est præscribenda,

da, uti & in febribus quartanis, ubi ejus decoctum ad unciam unam epotum sæpe egregios effectus præstat. Tamen est planta Equis magis quam hominibus idonea, in sternutatoriis ad morbos soporosos nempe apoplexiam & lethargum adhibetur.

Helleborus.

Character. Folia digitata, caulem ambientia; flores Rosæ instar expansi, stamina ferunt, & inter hæc ubique quasi cornicula egrediuntur. Pistillum calicis vel floris abit in siliquas erectas & conjunctas, quæ per maturitatem dissiliunt & ferunt semina plurima; radix exigua, fibrosa, nigriçans ex uno capite prodeuns, saporis acris, pungentis; amari, nauseosi.

Vires. In his plantis vires sunt causticæ, hinc rustici vocant belgicè *vuurkruyt.* Imprimis de prima, quæ folia tam acria habet, ut si rustici bovis cutim aperientes carni hanc plantam imponant, locum erodentes multas aquas extrahant, hacque ratione multos boum morbos curant; cæterum vires sunt paulo mitiores ac in Veratro, sed tamen causticæ, & in omnibus vis ignea adest imprimis in infuso adhibetur. Tertiæ & quartæ *Helmontius* & *Pracelsus* senilem vitam adscripserunt, & hinc hi hanc herbam dabant non ad purgandum, sed ad vim intestinorum in senibus juvandam, humores renovandos, & sic senes juvenes facere volebant, primò verè dabant omni bimestri spatio, omni mense, septimana, pro ut ætas crescebat; si in infusum potetur, tum omne, quod instar mucosi phlegmatis frigidi

frigidi & aquæ hydropicæ hæret, in vasis corporis optimè expellit & deberet certè à medicis plus usurpari quam solet; in morbis capitis soporosis, catharrosis, & hypochondriacis convenit, uti & in epilepsia, mania & febribus quartanis.

Helleboroïdes.

Character. Folia in singulo caule unum, in cujus medio flos Ranunculi est, cujus pistillum abit in pulcherrimas vaginulas. Vires sunt eædem ac prius.

Helleboro-Ranunculus.

Character. Folia Ranunculi; flos nudus Ranunculoïdes, planta est bis cava, globum cavum efformans, pistillum floris abit in siliquas seminibus repletas, cætera Hellebori.

Vires sunt caustieæ ut in Ranunculo & Helleboro, & hæc planta utriusque vires sequitur.

Populago.

Character. Folia rotunda, ampla, polita, integra; caules ramosi, rotundi; flores polypetali, rosacei, nudi, Ranunculoïdes; pistillum floris abit in plurimas vaginulas, quæ deorsum pendentes ferunt plurima semina plerumque oblonga; radix fibrosa, albescens; hæc planta crescit in locis aquosis.

Nomen. Populago vocatur, qui juxta ripas & fossulas sub Populo crescit, dicitur *Caltha*, quia ejus flos aureo colore Calendulam refert.

Vires

Vires. Hæc planta dicitur vim habere refrigerantem ut Nymphæa, ſed eſt planta cauſtitotatos; ita ut in ſummâ graminis penuriâ boves tamen eam fugiant, ſi verò edant, tum primò eorum fauces, æſophagus & ventriculus inflammantur, & tandem moriuntur, hinc eſt herba valde acris & Helleboro ſimilis.

Tribulus.

Character. Caules longi, repentes, rubicundi, nodoſi, villoſi, in ramos diviſi; folia ciceris inſtar pinnata, flores roſacei, lutei, pentapetali; fructus conſtat pluribus capſulis, quæ ſibi mutuo artificio quodam muniente apponunt, omnesque ſunt eſchinatæ & continent ſemina plurima; radix fibroſa, hæc planta creſcit in pratis præſertim in regionibus calidis.

Nomen. *Tribulus* vocatur à græca voce *τρίβολος ferrum hamatum* belgicè *een Voetangel.*

Vires ſunt refrigerantes, aperientes, adſtringentes, intus vulnerariæ, hinc conducit hæc planta in Diarrhæa & Calculo.

Butomus.

Character. Caules recti, craſſi, politi, æquales; folia graminea, triangularia, caulis eſt nudus, in cujus capite umbella ſuſtinetur vel flos polypetalus, roſaceus, floris piſtillum abit in fructum, qui conſtat conjunctis arctiſſimis vaginulis, quæ plurima ſemina plana, oblonga, exigua recondunt; radix craſſa, alba, nodoſa, fibroſa; hæc planta creſcit in locis aquoſis præſertim in pratis vel circa mare.

Nomen. *Butomus* dicitur à *βȣ̃ς bos* & *τέμνω* *ſeco*,

seco, quia ejus folia sunt adeo acuta, ut lingua & labia boum, hanc plantam amantes, ab hac vulnerentur, ut sanguis exeat, vocatur etiam *Juncus floridus* quia junci folia habet, belgicè *Rietgras*, est planta aquatica.

Vires refrigerantes emollientes & resolventes habere dicuntur.

Fraxinella.

Character. Caules rotundi, villosi, rubicundi, medullam habentes; folia Fraxini instar pinnata; flores pentapetali, anomali, quinque petala ita disponuntur, ut quasi bilabiatus appareat, post florem apparent plurimæ vaginulæ elasticæ, quæ cum impetu ejiciunt semina plana, magna, nigra, acuta & splendentia; radix longa, alba digiti minimi crassitie, odoris penetrantis, saporis amari; hæc planta crescit in regionibus calidis, hujus planta radix in officinis vulgò Dictamnus albus vocatur.

Nomen. Fraxinella vocatur à *Fraxino*, quia ejus folia Fraxinum refert, quasi *parvus fraxinus*, dicitur Dictamnus, quia ejus odorem saporem & vires habet belgicè *een kleine esschenboom.*

Vires. Tota hæc planta spirat odorem fragrantissimum, constat oleo abundanti; flores & caules sunt aromatici, balsamici & suaves, hinc inter herbas aromaticas & vulnerarias refertur, prima in omnibus officinis deprehenditur, odor ejus est balsamicus, & in omnibus partibus odorem fragrantem suavemque spirat, ejus cortex ad partum facilitandum & excludenda lochia maximè laudatur, ob inten-

tensam sui amaritiem contra lumbricos exhibetur; semina, folia & radices sunt officinales, hæc planta in Theriaca adhibetur, si Dictamnus non sit præsens; in affectibus capitis, epilepsia, morbis malignis, & obstructione uteri est optima planta; præsertim si uterus, nimio glutine obsideatur; ex floribus fit conserva, quæ stomachum & intestina roborat, abundat enim adstringenti virtute, in debilibus si in vino vel aqua adhibeatur, optimè conducit.

Melianthus.

Character. Caulis crassus, rotundus, excavatus, asper, nodosus, lignosus in parte inferiori, solidus, rubicundus; folia instar Pimpinellæ Sanguisorbæ majoris pinnata, serrata, nervosa, frigida, profundè incisa, odoris penetrantis, fætidi, saporiferi, saporis herbacei aliquantulum adstringentis; flores pentapetali, anomali, petalis vel in formam flabelli vel coni euntibus, calix quinquefidus in medio habens liquorem rubicundum viscosum grata dulcedine ipsum mel superantem, qui liquor in magnâ copiâ guttatim fluit, flore delapso liquor non amplius fluit, sed ejus pistillum fit fructus vesicarius, membranaceus, tetragonus, divisus in quatuor loculos, qui fundit semina oblonga, nigra & splendentia; radix longa, ramosa, crassa, lignosa, profundè repens & se in terram extendens; hæc planta crescit in desertis Asiæ & Africæ locis.

Nomen. Melianthus vocatur à μέλι *mel* & ἄνθος *flos* quasi *flos mellis* quia in Africa ejus flos mel transudat.

Vires.

Vires. Homines in Africa ab æstu solari quasi arescentes carpunt flores & liquorem sorbent, qui liquor apud Hottentottas adhibetur ad spiritus roborandos & refocillandos, hinc deficientibus spiritibus maximè adfert solamen.

Aconitum.

Character. Caulis exiguus, rotundus, in multos ramos divisus; folia rotunda, ampla, lanciniata; flores pentapetali, anomali, caput humanum cuculla monachi tectum referentes, pistillum floris abit in filiquas multas conjunctas, quæ recondunt semina angulosa, nigra, radix fibrosa, hæc planta crescit in montibus circa Alpes.

Nomen. *Aconitum* vocatur ab ἀκονὴς *vertices montium*, quia imprimis in præruptis saxis crescit juxta *Plinium*, quam Etymologiam secutus *Ovidius* in Metamorph. cecinit.

Quæ quia nascuntur dura vivacia cautè,
Agrestes aconita vocant. —— ——

Alii dicunt Aconitum fuisse oppidum prope Heracleam, ubi hæc planta olim magnâ copiâ crescebat. Vocatur etiam *Leucoctonum* à λύκ@ *lupus* & κτείνω *occido*, quasi lupos occidens, quia venatores lupos venantes hanc herbam intra carnes recondunt, quibus comestis pereunt.

Vires. Hæ omnes plantæ sunt venenatæ, & vim pessimam causticam & suffocantem habent, ita ut animalibus hanc plantam comedentibus deglutitio impediatur, licet etiam inte-

terim partes exarantur, qua de causa *Ovidius* cecinit.

Imminet exito vir conjugis, illa mariti:
Lurida terribiles miscent aconita novercæ:

Et *Virgilius*

At rabidæ tigres absunt & sæva Leonum
Semina, nec miseros fallunt aconita legentes:

Hæc planta semper pro venenatissima est habita, & in calidis regionibus præcipuè; quarta dicitur esse antidotum uti & tertia, *Matthiolus* primus fuit, qui hanc innoxiam esse tradidit, reliqui omnes Auctores illud ex eo exscripserunt; unde *Johannes Bauhinus* bene monet, non ei esse fidendum, nam hoc ex aliis auctoribus descripsit. externè conducit ad scabiem & pediculos enecandos.

Delphinium.

Character. Folia tenuissimè divîsa; flores pentapetali, anomali, quinque petalis ferè constantes, quorum unum caudatum, aliud pariter caudatum excipit fructus ex vaginulis conjunctis supernè dehiscentibus; semina sunt angulosa, nigra, saporis amari & ingrati; hæc planta in hortis colitur propter pulchritudinem floris.

Nomen. Delphinium vocatur à δελφὶν *delphinus*, quia flos nondum apertus Delphinum refert, dicitur *Consolida Regalis*, nempe à virtute consolidante, *Casparus Bauhinus* has plantas regales vocat, quia calicem habent retroflexum

flexum ut insigne nobilium: germani hanc vocant *lauskraut*, quia hæc planta in pulverem redacta & capiti inspersa necat pediculos. *Cæsalpinus*, *Plinius* & Poetæ dicunt hanc plantam esse verum Hyacinthum, quia ejus florem habet id est alpha cum jota suspensa, & Apollinem genuisse Hyacinthum, cum anima efflaret, quod punctum est particula deplorantis; unde *Rapinus* cecinit.

Namque sub Eurotam dum Phœbus torquet in auras
Imprudens discum; pueri per tempora venit
Obliquus, pariter de vulnere palluit isto
Et Deus & juvenis, fuso de sanguine surgit
Flos novus, & primos Phœbi testatur amores.

Ovidius dicitur suos gemitus eorum foliis inscripsisse, in hac planta observatur, quod, cum in flore folium est implicatum, in albo characteres habet occultatos.

Vires sunt eædem ut in Aconito, nam, si internè adhibeatur, suffocat. Hæc planta in aqua rosarum macerata externè conducit ad oculorum inflammationes.

Aquilegia.

Character. Folia Thalictri lobata, profundè incisa, caulibus longis adhærentia; Caulis exiguus, rubicundus, villosus, ramosus; flos plane anomalus, figuram aviculæ repræsentans, coloris cærulei vel rubicundi, pistillum floris abit in multas siliquas membranosas, caput referentes, includentes semina exigua, compressa, polita, nigra, obrotunda; radix crassa, alba,

alba, saporis subdulcis; hæc planta crescit in montibus & sylvis; belgice vocatur *akelye*.

Nomen. *Aquilegia* vel *Aquilina* ab *Aquila*, quia ejus flos aquilam refert; *Fabius Columna* docet esse *Isopyrum Dioscoridis*, & demonstrat ita dictam esse, quia vaginulæ sic assurgunt.

Vires sunt aromaticæ, calefacientes, diureticæ, aperientes, sudoriferæ, penetrantes & vulnerariæ, semina contrita & vino infusa fibras stimulent, & calefaciunt, conducit ad libidinem augendam calculum pellendum & sudorem expellendum, ad pectoris morbos & uterum laudatur, uti ad palpitationes cordis superandas, menstrua provocanda, prodest etiam in gingivis corruptis & scorbuto, radix in pulverem contrita in colica est optima, semen croco mistum & vino assumptum conducit in Ictero, uti in vertigine, in expellendis variolis & morbillis est optimum remedium, idem præstat effectum ad oris & gingivarum ulcera mundanda.

Plantæ Siliquosæ.

Siliqua dicitur theca oblonga, quæ membranis quibusdam tegitur, & hæ membranæ, si maturæ sint, facilè decidunt, tum in media parte est placenta, quibus ovo annectuntur per longitudinem, ut membranæ per hanc decurrant, per hanc ova nutrita nullam connexionem cum placenta habent, tota verò siliqua seu theca dicitur ovarium in his ergo notandum 1. fenestra, cui ova membranæ annectuntur & semina tegunt, 2. semina ipsa; ergo sunt plantæ uniloculares, bivalvæ, siliquosæ, siliqua vero dicitur, si ovarium in longum sit pro-

protractum, siliculæ admodum breves & quasi tuberculum sit. Hæ plantæ in tres species seu genera dividuntur, 1. erraticas seu variis floribus, 2. tetrapelalus papilionaceus. 1. spurcæ dicuntur, quæ gerunt siliquam, sed flos non est naturæ constantis. 2. tetrapetalæ siliquosæ constantes, florem habent quatuor petalis per crucis quasi formam dispositis constantem, calix semper cum flore caducus, tetrapetalus, flos cum calice in fastigium erigitur, raro ex alis, in toto genere sapor singularis, antiscorbuticus, pistillum calicis abit in vas membranaceum, quod intus innumera recondit semina, hæ plantæ dividuntur in monospermas & polyspermas.

Chelidonium Majus.

Character. Caules exigui, ramosi, subrotundi, villosi, excavati; folia profundè incisa, dentata; flores tetrapetali, lutei, siliqua oblonga, bivalvis, semina obrotunda & flavescentia habens; radix crassa, fibrosa, tota planta scatet succo luteo escharotico, odoris penetrantis, saporis acris & amari; crescit in muri fissuris.

Nomen. Chelidonium à χελιδὼν *hirundo*, quia hirundines hac planta utuntur ad pullos suos cæcutientes visum restituendos, vel quia vere adveniente apparet, & cum hirundinibus abeuntibus iterum perit, hinc *Rapinus* cecinit.

Tuque Chelidonium, cum nuncia veris hirundo
Stagna super volitavit, avis de nomine dictum,
Ad primos veris Zephyros florere parabis

R Bel-

Belgicè vocatur *schelkruyt* quia maculas oculos adnatas detergere dicitur.

Vires. Hæc herba habetur inter plantas, quarum succus omne heterogeneum detergere possit, si ergo sarcosis vel onyx vel pellicula hæreat in oculo, tum intromittunt succum, qui omne heterogeneum erodendo tollit, sed inde totus oculus inflammatur, hinc puto cautelam esse adhibendam, nam afficit ulcera, ut lapis infernalis, cæterum in Chirurgicis convenit, ubi erodendum est, laudatur etiam ab acrimoniâ saponaceâ, hinc dicitur Ictericis esse solamen, sed cum Ictero ut plurimum inflammatio sit juncta, tum pessimum est medicamentum, hinc mallem hac uti (ut *Hippocrates* suadet) malaxantibus quam acribus; cæterum ubi fortiter movendum est, ibi tamen convenit, radices vino infusæ conducunt in hydrope, folia vulnera equorum sanant, in verrucis succus ejus expressus est optimus, uti ulceribus sordidis.

Glaucium.

Character. Folia ex radice erumpentia, longa, carnosa, ampla, crassa, villosa, profundè incisa, dentata, & quasi crispata, repentia, hyeme semper viridia, caulibus crassis adhærentia; caulis secundo anno erumpens fortis, durus, nodosus, politus, in multos ramos divisus, ex nodis suis folia minora & minus incisa germinans; calix bifolius & caducus; flores rosacei, tetrapetali coloris lutei; floris pistillum abit in siliquam oblongam, exiguam & asperam, quæ habet valvas septo medio hærentes, cui plurima semina obrotunda, & nigra

gra accrescunt; radix longa, digitum crassa, nigricans; tota porro facies Papaveris est, tota planta habet succum luteum odoris ingrati, saporis amari, crescit in locis maritimis.

Nomen. *Glaucium* dicitur à γλαυκὸς glaucus, quia folia hujus plantæ habent colorem viridem marinum, vocatur etiam *Papaver corniculatum*, quia est species Papaveris siliquas habens instar cornu. Hæc planta habitu Papaveri convenit, nisi quod fasciculum seminale eorum longum habeat diaphragma in medio, ubi accrescunt semina.

Vires non scio sat exploratas, sed quantum sapor & odor docent, habet eandem vim ac Papaver seu Meconium; tamen est acris & calida, hinc folia contusa in ulceribus convenire possunt.

Sinapistrum.

Character. Flores tetrapetali, rosacei, siliqua oblonga, continens semina plurima, per duas valvas divisa.

Nomen. Hæc planta ita fuit dicta ab *Hermanno*, quasi *parvum Sinapi*, quia figurâ & acrimoniâ ad Sinapi accedit, ita ut pro eo uti possit.

Hypecoum.

Character. Caules in multos ramos divisi; folia tenera Fumariæ instar divisa, flos exiguus, tetrapetalus, subitò evanascens, coloris lutei, pedunculo adhærens; floris pistillum abit in longum cornu articulatum, quod constat duabus valvulis per maturitatem de

hiscentibus, quæ semina fundunt reniformia & nigricantia; ovarium perfectè refert arietum cornu; radix longa, aliquando simplex, aliquando divisa, fibrosa, & rubicunda, hæc planta crescit in regionibus calidis; dicitur esse planta obsequiosa.

Vires ejus sunt ut in Fumaria.

Epimedium.

Character. Caules exigui, rotundi; folia ampla, acuta ut in Hedera terrestri, viridia, satis dura, in margine dentata; flos tetrapetalus habet petala excavata, quæ perfectè referunt domicellarum hippopodia, belgicè *meuylen*, siliqua brevis continet semina obrotunda, radix in multos ramos divisa, in inferiori parte fibrosa; hæc planta crescit in locis humidis, ut in pratis.

Nomen. Epimedium vocatur ab ἐπὶ & μήδιον *ad supra triphyllum* quasi *magnum Trifolium*, quia hujus plantæ folia sunt magna & semper terna.

Vires dicuntur esse in hac planta antivenenatæ, sed fatendum est potius, has nondum satis esse exploratas, sapor tamen est Virgæ Aureæ ergo fortè easdem vires habet.

Fumaria.

Character. Caules excavati, quadrati, coloris partim purpurei, partim albescentis; folia minutim incisa, caulibus longis & angulosis adhærentia, lobata umbelliferarum instar, floris monopetali, apetali, superiori petalo caudato, inferiori pedunculo affixo; post florem

rem apparet capsula membranacea, nunc rotunda, nunc oblonga, continens semina parva, rotunda ex nigro viridescentia saporis amari & ingrati; radix mediocriter crassa, fibrosa alba; tota planta habet saporem amarum & ingratum, crescit in pratis. *Rapinus* de hac planta cecinit.

Ipsa etiam primo mollis Fumaria vere,
Ostendet varios, per Norica saxa colores:
At non horrendos cœli perferre tonantis
Ut perhibent poterit, læso non flore, fragores:
Cum vel fulmineo Fumaria tacta vapore
Deficiat, lapsasque jacens cervice recumbat.
Tunc & cœlesti, quæ dicitur Iris ab arcu,
Splendebit, flores variata coloribus illis,
Quos pluvia accipiunt adverso nubila sole
Iridis at species varias, variosque colores
Distinguet, variis pro tempestatibus, annus.

Nomen. Fumaria vocatur à *Fumo*, quia hujus herbæ succus oculis inditus lachrymas instar fumi erumpere facit, vel quia cum primo se per terram diffundit, quasi fumus circa terram apparet; si flosculi matutino tempore aperiantur tum stamina vi tantâ copiâ fundunt semina, ut nullum animal plus seminis fundere possit; belgicè vocatur *Holaerdtkruyt.*

Vires. Succus secundæ tertiæ & quartæ si cuti applicetur, non facit magnum calorem, sed si gustetur, habet saporem amarum, si tractetur det crystallos, qui nitrum referunt, qui crystalli sunt vi aperiente & refrigerante præditi; ope hujus herbæ sæpe derelicti morbi curantur, sed dandus est hujus succus v. g. singulis diebus ad unciam unam duas vel tres,

& tum superbibatur serum lactis, hac ratione omnes vetustæ obstructiones tolluntur, hinc etiam in infusis majalibus dictis ingreditur, est planta diuretica, sudorifera & purgans prout determinatur, si v.g. vis ut æger purget, tum detur paulo majori copiâ, & deinceps corpus ad motum est determinandum, si vis, ut sudet, tum calidè assumens se ad sudores componit nempe in lecto; hæc planta urinam ducit, in omni morbo pituitoso glutinoso bile inspissato constante ad manipulum unum vel duo conscissa & in sero lactis cocta bibitur contra arthritidem, melancholiam, morbum hypochondriacum & scorbutum; in acutis & chronicis morbis conducit, in Chirurgicis conducit ad omnes tumores pellendos si cum aceto & pauxillo salis misceantur, si primæ, secundæ, tertiæ & quartæ succus magnâ copiâ hauriatur, fundit omnem pituitam & bilem atram, vasa laxat, putredini resistit, ergo in omnibus morbis convenit, ubi tenacia sunt incidenda; hinc syrupus inde confectus in melancholia conducit, pilulæ in obstructionibus optime exhibentur, quia verò hujus succus non nisi æstivo tempore haberi potest; hincq inspissant, ut in gleba tenaci servari possit, unde pilulæ postea sunt formandæ. Hæc herba est optima in sanguine depurando, scabie, febre quartana, & Hydrope, commendatur quam maxime ad vulnera inveterata & fistulosa consolidanda, ad sanguinem coagulatum contusiones & putredinem oris in scorbuto; menstrua & lochia obstructa provocat, hæc planta adhibetur in confectione Hamech. Octava, nona, decima & undecima vires habent acres & aromaticas, hinc vires sunt eædem ut de Aristolo

riſtolochia rotunda dixi, radices ſolæ uſuales ſunt, & ad quinque radices aperientes referuntur.

Capnoïdes.

Character. Quatuor prioribus ſiliquis ſaltem ſua largiori differt.

Nomen. Capnoïdes vocatur à græcâ voce καπνός quod ſignificat *Fumaria* & εἶδος *facies*, quaſi *faciem Fumariæ habens.*

Capnorchis.

Hæc planta hyeme floret & vix æſtate demonſtrari poteſt; eadem virtus ut in Fumaria.

Cyſticapnos.

Nomen. Cyſticapnos id eſt veſiculam gerens Fumariæ, vires ſunt ut in reliquis.

Siliquoſæ, Biloculares, Polyſpermæ.

Bignonia.

Character. Flos monopetalus, anomalus, tubiformis, medio ventre aſſurgente, 2. duo labia deſinente, piſtillum floris in vaginam abit; hæc planta pulcherrimos flores gerit.

Nomen. Bignonia fuit dicta in memoriam *Abbatis Bignon Bibliothecarii Regis Galliæ Ludovici XIV.* qui fuit vir omnibus inſerviens litteratis & multa bona fecit, hinc *Tournefortius* huic plantæ hoc nomen dedit.

Vires non ſunt notæ, ſed novi, quod ſit planta aſpera & cauſtica.

Pervinca.

Character. Caules exigui, longi, tenues, obrotundi, nodosi, virides, repentes; folia oblonga, polita, viridia, bina, se invicem opposita, caulibus brevibus adhærentia, saporis amari, stiptici; flos monopetalus, hypocrateri formis, coloris albi, rarò rubri, sine odore; post florem sequitur fructus oblongus, constans duabus siliquis, quæ continent semina plurima oblonga. fere cylindracea, sulcata; radix fibrosa. Hæc planta crescit in locis humidis & sylvis.

Nomen. Pervinca vocatur à *pervincere*, hoc nomen huic plantæ fuit datum, quia frigori hyemali resistit; *Clematis* dicitur, à κλῆμα *virga*, quia hæc planta undique virgulta habet; *Daphnoides* à *Daphne laurus*, quia ejus folia laurum referunt; *Vinca* fuit dicta, quia in thalamis nuptialibus inde cingula conficiuntur, vel quia prodest virginibus belgicè dicitur *maegdepalm* vocatur *Chamædaphne* à χαμαὶ *humi* & Δάφνη *laurus* quasi *parvus laurus*, quia humi procumbit & folia laurum referunt.

Vires. Succus hujus planta est amarus, calefaciens, penetrans, saponaceus, aperiens, detergens, undique stimulans, & vulnerarius, hinc inde summum petitur remedium in languentibus à pituitosis, succus ejus aquæ incoctus & magnâ copia epotus uterum aperit, lochia provocat, & calorem vitalem excitat, folia minutim conscissa, parum cocta & expressa, & mane cum vino epota egregium est medicamentum contra scorbutum id est ad sanguinem à pure depurandum, & primas vias à

glutine

glutine detergendas, virginibus chlorosi laborantibus convenit, dysenteriam, sputum cruentum curat, folia naribus indita hæmorrhagiam sanant, in Phtysi est optima planta uti & in morbis faucium, folia ejus cum lacte ebutyrato conveniunt in fluore albo, Hæc planta non fert ulla semina nisi rami sæpius obscindantur.

Asclepias.

Character. Caules rotundi, flexiles, in superiori parte plantas vicinas ambientes; folia conjugata, bina, caulium nodis adversa, oblonga, polita, ampla, acuta; flores monopetali, ad superiora divisi, ut frænulum pentapetalum referant, coloris albi, odoris grati; post florem succedit fructus, duabus siliquis constans, membranaceus, oblongus, acutus, per maturitatem dehiscens juxta longitudinem, continens semina plura, papposa, lanugine cristata, & multiplici serie imbricatim invicem incumbentia, coloris rubicundi; radix exigua fibrosa, albicans, odoris graviusculi, penetrantis, saporis acris amaricantis aliquantulum nauseosi; hæc planta crescit in montibus & sylvis.

Nomen. Asclepias vocatur *ab æsculapio primo medicinæ fundatore* & propter virtutes insignes hæc planta est digna, ut hoc nomen gerat, *Vincetoxicum* dicitur à *vincere* & *τοξικὰ venena*, quasi *planta venenum domans*, belgicè vocatur *Zwaluwe wortel.*

Vires. Hæc planta in omnibus Orvietanis & antidotis ingreditur, iisque tanquam basis inservit, radix enim habet penetrantissimam sed

ſubtiliſſimam amaritiem, hæc radix dicitur vino infuſa & jejuno ſtomacho hauſta venenum expellere, & cavere, ne aſſumptum venenum multum noceat; folia in peſte, rabie canina, & omnibus contagioſis morbis ſuſceptis conducit, radix aliquando nonnullis levem vomitum movet, præcipue ſi ſit nimis recens; hæc planta eſt ſuavis, non multum odoris, nec acrimoniam ſed ſuccum inviſcantem habens; radices vino infuſæ cönducunt in hydrope & obſtructionibus viſcerum, folia contuſa & forma cataplaſmatis adhibita tumores mammarum reſolvunt, radices & folia in pulverem contuſa ulcera fætida depurant, radix menſtrua provocat, in calculo & ſcabie convenit.

Apocynum.

Character. Hæc planta creſcit ut arbuſcula; folia oblonga, ampla, craſſa, caulibus adverſa, alba, ſuccum habentia lacteum, amarum & acrem; flores campaniformes, quinquefidi, flavi; radix longa, fibroſa, fortis, hæc planta creſcit in Ægypto.

Nomen. *Apocynum* vocatur ab ἀπὸ & κυνὸς *canis*, quaſi *planta canis* quia Veteres crediderunt hanc plantam canes occidere. Ægyptii hanc plantam vocant *Oſſar*, unde venit nomen fructus *Beideſſar* quaſi *Boides Oſſar* quod ſignificat in lingua arabica *ovum Oſſar.*

Vires. Hæc planta copioſiſſimè lac fundit, ſed ſi guſtetur ilico inflammatur os, hinc in omnibus partibus habet vim cauſticam & venenatam, ſi cuti apponatur, primò inflammat, deinde ita exulcerat partem, quaſi pars ferro

effet exusta, in ventriculo inflammationes horrendissimas inducit, putridamque escharam facit, unde tormina, dolores atrocissimi, Dysenteria & tandem mors oritur, nisi summis medicamentis liberetur. Lanugo ejus *bouatte* dicta, quæ in ejus fructu invenitur, in usu est ad inferendum inter stragula; incolæ hujus regionis in culcitâ adhibent.

Plumieria.

Hæc planta ita fuit dicta à *Tournefortio in honorem & sempiternam memoriam Caroli Plumieri summi botanici.*

Periploca.

Character. Caules longi, lignosi, flexiles, nodosi, rubicundi, repentes scandentes & arbores vicinas amplectentes; folia se invicem opposita, ampla, oblonga, venosa, acuta; flores rotati, monopetali quinquefidi, villosi tamen sine lanugine; radix fibrosa repens; reliqua Apocyni scandentis; hæc planta succum lacteum in magnâ copiâ dans crescit in sylvis.

Nomen. Periploca vocatur à περὶ *circa* & πλοκὴ *nexus*, quasi *planta se circa caules suos uti & vicinos nectens.*

Vires sunt venenatæ, sed imprimis quartæ, sed hæc planta tamen non adeo est venenata ut Apocynum; succus prioris est species scammonii, & ut hoc medicamentum fere operatur.

Nerium.

Character. Folia oblonga, crassa, dura; flores monopetali, infundibuliformes, multifidi; fructus teres fere cylindricus, compositus ex duabus thecis per maturitatem à se invicem abscedentibus semina lanuginosa placentæ adnata continentibus; radix polita, lignosa, longa; hæc arbuscula crescit circa loca maritima.

Nomen. Nerium vocatur à *νερὸν humidum*, quia hæc arbuscula crescit in locis humidis, *Rhododendron*, dicitur à *ῥόδον*, *rosa* & *δένδρον*, *arbor*, quasi *arbor rosas gerens*, *Rhododaphne* à *ῥόδον rosa* & *δαφνὴ Laurus*, quasi *arbor habens flores rosæ similes* & *flores Lauri.*

Vires. Hæc arbuscula habet vires indommabiles, nam succus tam violentam & magnam inflammationem facit, ut deglutitio ilico inhibeatur, & si in ventriculo veniat, tum nil continere potest, sursum deorsumque purgat; cæterum vires sunt, ut in Apocyno. Tertia, quarta & quinta habent odorem suavissimum, sed cum mane examinarem jejuno ventriculo in cubiculo clauso, sensi me sensim torpidum factum & dolorem capitis accipere, unde credo sub hoc odore aliquid venenati subesse, sed si in aëre aperto hauriatur, tum nil mali subest, ut animadverti potest; ejus antidotum est acetum & omnia acida.

Grossularia.

Character. Hæc arbuscula est ramosa, undique spinas fortes & acutas habens, ejus cortex est purpureus; lignum pallidum; folia parva,

va, obrotunda, aliquantum incisa, viridia, villosa, saporis acidiusculi; flores parvi, pentapetali; post florem sequitur fructus rotundus, carnosus, succum acidum continens, post maturitatem saporis dulcis & grati; qui fructus plurima semina exigua includit.

Nomen. Grossularia vocatur à *cute fructus grossa*, quia cutis hujus arbusculæ est carnosa, dicitur etiam *uva crispa*, quia uvas refert, & *crispa*, quia est villosa; *simplici acino* quia hæ baccæ à se invicem sunt separatæ, non verò in racemos congestæ.

Vires. Hujus baccæ immaturæ vires sunt ut in Acacia, sed si maturæ assumantur nimis magnâ copiâ, ut pueri his fructibus nimis indulgentes faciunt, tum purgant & vomitum faciunt. Hi fructus immaturi plerumque in culinis adhibentur, grossularia dulcis succum egregium contra morbos biliosos habet, & convenit in omnibus morbis putridis.

Ribes.

Character. Rami duri, tortuosi; folia subrotunda, viridia, dentata; flores in racemos congesti, pentapetali; post flores succedunt baccæ rotundæ, albæ vel rubræ, politæ, molles, succum rubicundum vel album continentes saporis acidiusculi & grati, quæ baccæ multa semina includunt, hæc arbuscula in omnibus fere hortis colitur.

Vires sunt adstringentes, refrigerantes, in febribus biliosis prosunt, sitim sedant, putredini resistunt, in diarrhæa & sputo cruento conducunt, urinam potenter movent, inde in stranguria & variis morbis chronicis laudantur, hæc

planta adhibetur in infuso vel decocto cum vino vel cerevisia, plurima hujus vis consistit in novis foliorum germinibus, ex baccis fit illud notabile medicamentum Rob Ribesiorum, quod frequentissimè adhibeo, uti & ejus baccas in omnibus morbis acutis sed baccas sumo, quamdiu habere possum; si verò non magis habere possim, tum sumo Rob ejus in aqua dilutum, quod illæsis viribus per annum servari potest, succus est saponaceus, acidulus, semper alvum laxans & putredini valde resistens; Ribes vero niger, qui inter Periplocas habetur, contra Nephritidem laudatur; baccæ sunt diureticæ, sed paulo magis calidæ ac in cæteris; folia habent odorem optimum ad paroxysmum hystericum pellendum.

Vitex.

Character. Rami longi, flexiles, corticem cinereum habentes; folia longa, angusta, acuta, lanuginosa; flores monopetali, tubulosi in spicas congesti; semina obrotunda, grisea, instar piperis crassa, saporis acris & aromatici; hæc arbuscula crescit in regionibus calidis circa flumina.

Nomen. Vitex vocatur à *vieo flecto*, quia ejus rami sunt valde flexiles; dicitur etiam *agnus castus*, quia libidem sopire creditur, unde in monasteriis in illum scopum adhibere solent Monachi, sed ut ejus sapor & odor indicant, potius luxuriem excitare videtur; vocatur etiam *Salix americana*, quia ejus folia Salicem referunt.

Vires. Semina hujus arbusculæ conducunt in passione hysterica, hinc urinam & menstrua movent; belgicè vocatur *kuysche lam.*

Sili-

Siliquosæ, Quadricapsulares, Quadrivalves, Polyspermæ.

Chamænerion.

Character. Caulis rubicundus, ramosus, medullam fungosam & albam habens; folia oblonga, satis angusta, acuta, polita, Salicem referentia, saporis adstingentis glutinosi cum levi acrimonia; flores rosacei, tetrapetali coloris cærulei, raro albi, fructu adnati, qui fructus est siliqua oblonga ex quatuor quasi concurrentibus vasculis compositus, in quorum medio quasi stylus hæret quatuor laterum singulislateribus, cui semina oblonga, cinerea, exigua & papposa accrescunt; radix se undique extendens coloris albi, saporis viscosi, insipidi; hæc planta crescit in montibus.

Nomen. Chamænerion vocatur à *χαμαὶ humilis* & *νήριον quasi humile nereum* vel à *Regina Lysimachia Chamænerion* dicta. *Gesnerus* hanc plantam vocat *filius ante patrem*, quia ut notum est in reliquis plantis flos semper est ante Ovarium, sed hic fructus ante florem sese conspiciendum præbet; verum tamen hic fructus non est ante florem, nam tuba ovarii æquè hæret inter stamina floris, & hinc æquè fæcundantur ac in aliis partibus.

Vires nullæ sunt notæ.

Onagra.

Character. Caulis crassus in parte inferiori rotundus, in superiori angulosus, ramosus, griseus & in summitate punctis rubris instructus,

tus, medullam continens; folia longa, angusta, alternatim disposita, sinuosa & in margine dentata, flores rosacei, tetrapetali, odorantes, cito caduci; cætera ut in priori, sed siliquæ non dehiscunt, sed saltem à superiori parte se aperiunt, in medio hæret stylus, qui format quatuor loculos plurima semina exigua & angulosa continentes; radix crassa, longa, alba, fibrosa; hæc planta crescit in America & in hisce locis sata secundo anno tantum caulem producit.

Nomen. *Onagra* vocatur ab ὄνος *Asinus* & ἄγριον *Sylvestris*, quasi *Asinus Sylvestris*, sed quare auctores sic dixerunt nescio.

Vires non sunt cognitæ.

Sesamum.

Character. Caulis rectus, fortis; folia oblonga; acuta, crassa, altera dentata, altera non; flores monopetali, flori Digitalis satis accedentes; post florem succedit fructus luteus, qui fructus sunt capsulæ angulosæ, in duos loculos divisæ, continentes semina oblonga alba, medullosa, oleosa, dulcia, aliquantulum nutrientia; ex quibus seminibus oleum edule exprimitur; hæc planta crescit in Ægyptia & Indiis. *Tournefortius* hanc plantam ad Digitales refert, sed non video qua ratione nam hic alius fructus est quam ibi.

Vires. Hæc planta est optima, si in pleuritide, ophthalmia & tumoribus scirrhosis forma fomenti applicetur; in clysmatibus conducit ad colicam. Indi hanc supra omnes plantas extollunt, quia dicitur pulchritudinem corpori conciliare, nam fæminæ se cum ejus oleo obli-

obliniunt, & sic omnes maculas uti & solares ex facie tollunt; fructus valde nutrit & est edulus, hinc inde cum seminibus Papaveris fiunt placentulæ, oleum est omnium oleorum mollissimum, hinc omnibus morbis calidis convenit.

Siliquosæ, Quinque capsulares, Polyspermæ.

Corchorus.

Character. Folia alterna in caulium nodis apposita, in margine incisa; flores rosacei, quinquepetali, lutei; fructus est longa siliqua cornuta, quæ quinque loculamentis constat, per quinque septa media dissecta, in quibus loculis quinque valvæ se expandunt & dimittunt semina numerosissima exigua, coloris cinerei, saporis viscosi; hæc planta crescit in hortis.

Nomen. Corchorus vocatur à *corde*, quia ejus fructus cor referre creditur.

Vires. Hæc planta in Ægyptia adhuc valde commendatur, est enim herba emollientissima, hinc in inflammatione, pleuritide & peripneumonia convenit, si nempe lacti incocta propinetur, vel si balnea inde fiunt; hæc in Ægypto inter olera habetur, nam est herba mollissima, benignissima & laxans fere instar Portulacæ, semen comestum dat quoque optimum nutrimentum; oleum ex semine pressum habetur, ut oleum Sesami, *Prosper alpinus* & *Veslingius* observarunt quod semina in Ægyptiis essent edulia, hæc planta quoque adhibetur ad ulcera fætida & vulnera instar emollientium,

ut nos Brancam Urſinam adhibemus.

Fabago.

Character. Caules longi, ramoſi, flexiles; folia in eodem pediculo bina, pediculi ex adverſo bini in nodis caulis, unde tetraphylla apparet, oblonga, ſucculenta, craſſa, Portulacam referentia, nervoſa, ſaporis amari; flores roſacei, expanſi, polypetali; poſt florem ſequitur vaſculum ſeminale oblongum membranaceum, in quinque loculamenta dehiſcens quæ continent ſemina compreſſa; radix exigua, ſe undique extendens; tota planta habet ſaporem amarum.

Nomen. Fabago vocatur à *Fabis* quia folia ejus Fabis ſunt ſimilia, *Capparis*, à fructu.

Vires ſunt aperientes & detergentes; folia habet mollia ut in Telephio, ſuccus eſt ſubadſtringens & aromaticus.

Oxys.

Character. Caules longi, flexiles, teneri, rotundi, purpurei aut rubicundi; folia terna, cordata, eidem pedunculo adnaſcentia, mollia, ſucculenta, ſaporis aciduſculi & grati; flores campaniformes, monopetali; poſt florem ſequitur fructus membranaceus quinque locularis, oblongus, quinque valvas à baſi verſus apicem ſurſum diſſilientibus, fœtus ſeminibus rubicundis calyptrâ elaſtica involutis ejusque vi cum impetu diſſilientibus, radix craſſa, ſquammoſa, fibroſa, alba aut rubicunda, fibras longas & albas habens; hæc planta habet odorem gtatum, ſed non penetrantem.

No-

Nomen. *Oxys* dicitur ab ὀξύς *acidus*, quia hæc planta habet saporem acidiusculum; unde vocatur *Acetossella*, dicitur etiam *Oxytriphyllum* ab ὀξὺς *acidus* & τρίφυλλον *Trifolium*, quia triafolia habet, belgicè *klaverzuring*; *Panis Cuculi*, quia hæc avis hanc plantam comedit, vel quia folia germinat eodem tempore, quo cuculus cantat; *Alleluia* quæ est vox hebraica significans *laudate Dominum*, hoc nomen huic plantæ fuit datum, quia circa pascam floret; *Corniculatum* à *floribus cornutis*.

Vires. Succus hujus plantæ est suboleosus, acidus, nitrosus, hinc in omni morbo caustico, putrido, pestilentiali convenit, hæc herba lacti & aquæ incocta est optimum remedium in inflammatione, pleuritide & omnibus morbis acutis, nullum est medicamentum magis humores, bilem & corruptionem corrigens quam hoc, hinc conducit, quando homines nauseabundi, & apepsia ob putridum, quod circa ventriculum hæret, vel à bile, vel alia de causa laborant; hi ægri tum hunc comedant ut Lactucam, sed sine aceto, nam aceto non indiget, quia per se est herba satis acida; in diarrhæa, dysenteria, & intestinorum fluxu est herba benigna, hinc in Medicina sæpissime est adhibenda, aqua ejus destillata nullius est virtutis; sapor verò hujus plantæ est acerbus ingratus, penetrans fere instar succi citri & magis aperiens, quam adstringens, in febribus ardentibus, faucium inflammationibus scorbuto, bubonibus, antracibus, & peste est optima planta; si in his ultimis morbis recens contusa applicetur, valde prodest; ex hac planta fit cum saccharo conserva optima. De hac planta in germania integer tractatus germanicè

nicè eſt conſcriptus, qui tractatus etiam in linguam latinam eſt translatus, ibi videtis peſtem hac herba curatam, & gingivas à ſcorbuto diffluentes ſanatas.

Balſamina.

Character. Caules craſſi, ramoſi, recti, ſucculenti, aliquando in parte inferiori rubicundi; folia oblonga, acuta, aliquantulum in margine inciſa, ſaporis amari; flores nulli alteri ſimiles, tetrapetali, quorum unus in caudatum conum abit, ſuperius fornicatum eſt, duo latera alia florem complent; flos calice dipetalo continetur, poſt florem ſequitur theca ſeminalis, oblonga, quinque conſtans loculis, qui quinque vel ſex habent valvulas, vim contractilem ſummam in ſe habentes, ut ſe contorqueant, nam ſi modo attigeris, contrahuntur, & ſemina magnâ vi dejiciuntur; radix fibroſa, alba; hæc planta creſcit in hortis, in his plantis in medio ovarii axis erigitur, cui axi quinque alæ adhærent, & illæ quinque alæ ſic procedunt, & quæque ala continet loculum, quibus accreſcit membrana, quæ multo elaſticior eſt, quam ultimum tomentum, ſi nempe maturum ſit ſemen, & hinc ſi tangatur, ilico deſſilit cum vehementiâ; folia, quando florent, adeo conveniunt Mercuriali, ut vix diſtingui poſſint, & memini Medicum Mercurialem herbam emollientem ſcopo emollienti præſcripſiſſe, ſed Pharmacopæum hanc ſumpſiſſe, unde æger mortuus eſt, ſicut hic debeamus eſſe prudentes.

Nomen. Balſamina vocatur à *Balſamo*, quaſi planta

planta ad balsamum conficiendum optima.

Vires sunt venenatæ & causticæ, unde ad venena referuntur, præsertim prima. *Gesnerus* dicit, quod tertiæ vel quartæ folia in magnâ copiâ aquæ incocta in visceribus obstructis & hydrope conveniant, si verò minori copiâ detur, est diureticum remedium, si plus sudoriferum. hoc pendet ab acrimonia, sed tamen credo in his omnibus plus venenatam quam medicatam vim inesse, hinc non scio, cur balsamina dicta fuit, nam minime balsamum refert, neque est apta ad balsamum conficiendum, sed penitus est venenata.

Herbæ, Suffrutices, Frutices, Tetrapetalæ Cruciformes, Siliculosæ & Siliquosæ.

Tetrapetalæ dividuntur in eas, quæ sunt siliquis divisis, & non divisis, & quidem in eas, ubi fructus constat siliqua, quæ verò nullo medio est intersepta, septa vel sunt perpendicularia vel parallela.

Crambe.

Character. Folia Brassicæ rubræ, magis crassa, carnosa, saporis sat grati; post florem sequitur capsula ovalis spongiosa, ex duabus partibus composita, per longitudinem ad se invicem apposita, includens in cavitate semina membranosa; hæc planta crescit circa loca maritima.

Nomen. Crambe est *vox græca significans Brassicam*, sed Brassica est longe aliud genus, hinc

hinc illa planta non est confundenda, & à *Tournefortio* hic optimè distinctio est facta, Nomen ergo hic retentum est ob defectum vocabulorum.

Vires. Prima in culinarios usus recipitur, tanquam emolliens & lætum nutrimentum, cæterum non laudatur; vires Brassicæ habent.

Rapistrum.

Character. Caules tenues, rotundi, ramosi, aliquantulum villosi; folia repentia, crassa, Rapam referentia, incisa, aliquantulum villosa; flores in spicas congesti, in crucem expansi, lutei; post florem sequitur vasculum seminale subrotundum bifariam dehiscens, unicum semen recondens, radix longa, fibrosa & albescens.

Nomen. Rapistrum vocatur à *Rapa*, quia hujus plantæ folia Rapam referunt, *Monospermon* etiam dicitur à μόνον *solum* & σπέρμα *semen*, quia fructus ejus tantum unicum semen recondit.

Vires. Omnes hæ plantæ habent vires antiscorbuticas, & saporem acrem quasi aliquid Allii esset admistum, hinc aliquid calidi his inest, cæterum non laudantur, & in Medicina non multum utilitatis habent.

Myagrum.

Character. Caules rotundi, duri, politi, ramosi, medullam albam habentes; folia oblonga; flores exigui, quadrifidi, in crucem dispositi, flavi; post florem succedit fructus rotundus, acuminatus, trilocularis ea lege, ut

ut loculus primus semen contineat rotundum oblongum & rubicundum, bini verò vacui apparent; radix crassa, alba, uno tantum anno durans, crescit in pratis præsertim in regionibus calidis.

Nomen. Myagrum vocatur à μυῖα *musca*, & ἄγρα *captura*, quasi planta sua viscositate muscas capiens & retinens, & videtur sic dictum, quia habet binos loculos; dicitur & *Monospermon*, à μόνος, *solus*, & σπέρμα, *semen*, quasi planta unum semen gerens.

Vires ut in Rapistro, cæterum non laudatur, ex seminibus exprimitur oleum optimum ad emolliendum, imprimis ad cutim politam reddendam.

Isatis.

Character. Caules crassi, rotundi, politi, non flexiles, rubicundi, in summitate in multos ramos divisi, folia oblonga, lata, polita succulentissima; flores exigui; quadrifidi, flavi, in crucem dispositi, pedunculis exiguis adhærentes; post florem sequitur siliqua compressa, oblonga, linguam exprimens, coloris nigricantis, quæ intus recondit duo semina plerumque oblonga; radix longa, alba, lignosa, in inferiori parte minor quam in superiori, saporis amari & adstringentis; hæc planta magnâ curâ in regionibus calidis colitur.

Vires. Hæ plantæ habent egregias vires medicatas, ejus succus instar saponis agit, habetque simul quid salini & valde penetrabilis, hinc ad atram bilem eluendam laudatur, imo ubique convenit, ubi lenta materia fluxilis est red-

reddenda, vasa aperienda & nervi stimulandi. Ex primâ contusâ succus colligitur & exsiccatur, qui fit niger, sed si iterum contundatur, tum fit color flavus, & dicitur *Pastel*, inde Britanni corpus nudum tangere solebant, ut furibundi magis in bello apparerent, ejus etiam ope pannis color flavus conciliatur; vis hujus plantæ est acris & magis penetrans ac in Rapistro, saliva elicitur masticatione, inter aperientes laudatur.

Jonthlapsi.

Character. Caules repentes, exigui, rotundi, purpurei, lanuginem albam & asperam habentes; folia oblonga, angusta, aspera, alba, sicca, saporis herbacei; flores in summitate ramorum crescentes, in umbellam dispositi, flavi, odorantes, quadrifidi cruciformes; post florem sequitur fructus, qui est siliqua rotunda, compressa, lanuginem albam & asperam habens, hic fructus in se includit unum semen plerumque rotundum & compressum coloris rubicundi; radix exigua, alba, in multas fibras divisa; hæc planta habet saporem acrem.

Nomen. Jonthlapsi vocatur ab ἴον *Viola* & *Thlapsi* id est *planta, cujus flores ad Violam, fructus verò ad Thlapsin accedit*; vel à ἴονθος, *Jonthus, primi pili, qui efflorescunt & Thlapsi* quasi Thlapsi lanuginosum, plerique enim Botanici hanc plantam ad Thlapsin retulerunt.

Vires non sunt cognitæ.

Alysson.